

47

Q. D. B. V.

LUTHERA- NISI DEFENSI

CONTRA

JOANN. SATTELSDORFF,
PAPISTAM LARVATUM,
DISPUTATIO POSTERIOR,

Quam,

LOCO DISPUTATIONIS CIRCULARIS,
DIVINO FRETUS AUXILIO,
CONSENTIENTE MAXIME VENERANDO THEO-
LOGORUM ORDINE,
SUB PRÆSIDIO

VIRI SUMME REVERENDI

DN. JOHANNIS NICOLAI QVISTORPII,

S. S. THEOL. D. ET PROF. PUBL. Ædis NICOL.
PASTORIS, REV. MINISTERII ROSTOCHIENSIS
SUPERINTEND. ET COLLEGII THEOLO-
GICI h. t. SPECTABILIS DECANI,
DOMINI PATRONI, PRÆCEPTORIS AC IN CHRIS-
TO PATRIS ÆTATEM VENERANDI,
DIE IV. SEPTEMBR. A. MDCCIV.

HABENDAM,
PROPONIT,
AUCTOR

IMMANUEL *Schibt* /
Colbergâ-Pomeranus.

Koltochl, Ære Joh. Wepplingii, Sereniss. Princ. ac Ac. Typ.



Incluti Athenæi Gedanensis
COLLEGIO PROFESSORIO,
VIRIS,

*Summè Reverendo, Consultissimo, Experientissimo,
Nobilissimis, Amplissimis, Excellentissimis,*

DOMINO RECTORI,
DOMINO INSPECTORI,
Cæterisque

DOMINIS PROFESSO-
RIBUS,

Dominis, Patronis, Mæcenati-
bus atque Præceptoribus,
submisso animi obsequio ætatem humil-
limè colendis,

Hoc, quicquid est, Speciminis Theologici non pau-
corum, per integros octo annos mihi uber-
rimè exhibitorum beneficiorum gratâ men-
te recordans, cum ardentissimo perren-
nantis felicitatis voto, submisè conlecrat,

Clientis Obsequiosissimus

IMMANUEL RICHTER

CAPUT. II.

DE
SPE LUTHERANA,seu de
Certitudine Salutis.

§. 1.



IN Capite hoc hæc controversia tractanda venit: *An homo in vitâ hâc (1.) de præsentî DEI gratiâ & remissione peccatorum certus esse, & (2.) eternam salutem certò sibi promittere ac sperare queat?* Utriusq; enim præparatæ affirmativam, quæ Lutheranorum est, Sylogismis tribus destruere videt Sattelsdorffius. Judicent autem illi, annon Sattelsdorffius, diversas hæc quæstiones sub generali titulo: *de Spe Lutheranâ*, tractando, in limine statim ipso impegerit? Tametsi enim in membro controversiæ hujus posteriori de certitudine Spei agatur: In prioritate tamen de certitudine *præsentis gratiæ & remissionis peccatorum* quæritur, quod Sattelsdorffius ipse non dissimulat, in Argumento suo III. ita scribens: *Wer mit göttlichem Glauben glaubet / daß ihme durch den Glauben seine Sünden vergeben sind / und er des Himmelreichs vergewisset / der behet vergeben das Vater Unser. Dann es wäre ja närrisch bitten umb etwas was sein ist / id est, quod in præsentî possidetur.* Spes autem non in præsens, sed in futurum bonum fertur, *cei cuius objectum propriè est eventus futurus*, rectè scribente *Apologiâ A. C. p. 126.* Quare etiam, melioris lucis atque intelligentiæ ergo, Sattelsdorffii titulo titulum: *De Certitudine salutis*, adjungere placuit, quæ rem tractatam multò luculentius exhaurire videtur. Interim verò, quoniam non tam de Titulo, quàm de re ipsâ controvertitur misso illo, ad hanc sine morâ me conferam, primùm doctrinam nostram

K

nostram

nostram ipsi Librorum Symbolicorum verbis proponitur, copiosiusque expositurus; deinde Argumenta Sattreisdorfii allaturus, brevissimamque responsione soluturus.

§. 2. Nostram de Certitudine remissionis peccatorum (quæ salus gratiæ est, Act. II. 47. Rom. IV. 6, seqq) & æternæ salutis, (quæ salus gloriæ est, 1. Petr. I. 9.) doctrinam, *Formula Concordiæ* p. 585. verbis sequentibus eloquitur: *Credimus, docemus, & confitemur etiam, eisi verè in Christum credentes & renati multis infirmitatibus & nevis usq; ad mortem sunt obnoxii: Non tamen illis vel de justitiâ, quæ per fidem ipsis imputatur, vel de æternâ salute esse dubitandum, quin potius firmè illis statuendum esse, quòd propter Christum, juxta promissionem & immotum verbum Evangelii, Deum sibi placatum habent.* Ex quibus verbis liquet, (I.) Subjectum Certitudinis hujus non statui à Nostratis hominem qualemcunque, etiam illum, qui extra Ecclesiæ est pomeria; sed illum, qui in Ecclesiæ est gremio. Subjectum enim illud dicitur *verè in Christum credentes & renati.* Qui verò extra Ecclesiam sunt, sunt *sine Christo*, & per consequens etiam *sine Fide* in Christum, *nullam* proinde *spem* æternæ salutis habentes, Ephes. II. 12. neque etiam sunt renati, ut pote in Baptismo, qui *lavacrum regenerationis & renovationis est*, Tit. III. 5. à peccatis non abluti. (II.) Subjectum Certitudinis hujus non statui Christianum qualemcunque, etiam impium, & in cursu peccatorum adhuc strenuè pergentem; sed fide justificatum: id quod ex verbis iisdem: *Verè in Christum credentes & renati*, fluit. Tales enim non sunt impii & proæretici peccatores; cum vera in Christum Fides & peccata mortalia, status item regenerationis & peccati, sint *destruente*. 2. Cor. VI. 14. 15. Neque tamen (III) Subjectum Certitudinis hujus talis statuitur Christianus, qui sanctitate gaudet omnibus numeris perfectâ, & ab omni peccati labe planè est immunis: Talis enim Christianus in hac vitâ est Non-Ens, 1. Reg. XIX. 46. Rom. III. 23. Pl. XXXII, 6. Sed hujusmodi Christiani Certitudo illa adscribitur, qui *multis infirmitatibus & nevis usq; ad mortem sunt obnoxii*, qualis Paulus olim fuit, qui, licet variis cum infirmitatibus confictari illum oporteret, Rom. VII. 14. seqq.

seqq. de præfenti tamen DEI gratiâ futurâqve æternâ salute erat
 quàm certissimus, Rom. II. X. 38. 39. 2. Tim. I. 12. IV. 8. (IV.) Sub-
 jectum hujus Certitudinis non statui justificatum illum, quian-
 teâ quidem talis fuit, postea autem per peccata statu justificatio-
 nis excidit, nondumq; ad frugem meliorem se recepit; sed illum,
 qui in statu justificationis permansit hætenus, aut, illo stexcede-
 rit, Christo verâ Fide denuò insertus est, eidemqve firmâ animi
 fiducia adhuc adhærescit. Sequitur hoc ex verbis: *Verè in Chri-
 stum credentes & renati*; quales certè non sunt, qui per peccata
 mortalia statu justificationis exciderunt, verâ scilicet Fide & Spi-
 ritu Sancto, ipsos renovante, vacui. Quamdiu ergo tales esse
 persistunt, neqve de præfenti DEI gratiâ certitudinem, neqve
 de salute æternâ spem certam concipere possunt. Quemadmodum
 verò ad divinam illam gratiam, per peccata excussam, nemini non
 per pœnitentiam ad extremum usq; vitæ halitum aditus pater: Nam,
 prouti Lutherus noster scripsit in *Catech. Majori* p. 551. *si quis exci-
 derit (gratiâ Dei), ille accedat vicissim. — Quemadmodum semel
 in Baptismo peccatorum condonationem assecuti sumus: ita ea adhuc
 quotidie permanet, quamdiu vivimus, hoc est, donec in terris ve-
 terem hominem collo circumferimus*: Sic etiam omnes, instar filii
 prodigi Luc. XV. 18. seqq. ad Patrem cœlestem per veram pœni-
 tentiam revertentes, uti bonorum gratiæ omnium; ita Certitudi-
 nis quoqve hujus iterum iterumq; redduntur participes. (V.) Obje-
 ctum Certitudinis hujus non tantum statui præsentem *justitiam*,
quæ per Fidem imputatur, seu justificationem, in quâ videlicet,
 exmerâ Dei gratiâ ac misericordiâ, justitia, sanguine Chri-
 sti acquisita, credenti per Fidem imputatur, ita, ut hic cer-
 tò statuere queat, quòd *propter Christum Deum sibi placatum ha-
 beat*; verum etiam futuram æternam salutem, & quidem justificatio-
 nem & salutem propriam, non alienam. Licet enim de justifi-
 catione quoqve alterius probabiliter certi esse, ejusqve æternam
 salutem ex Christianâ *charitate, quæ omnia sperat*, 1. Cor. XIII. 7. spo-
 rare queamus, siquidem alter ille dignos pœnitentiâ, dignos Fide
 fructus præ se ferat: Certitudinem tamen hanc illa, de quâ nunc

quæritur, multis parafangis post se relinquit, utpotè cum formi-
 dine oppositi conjunctam, cum homo ea modo videat, que ante
 oculos sunt, Deus autem cor ipsum inueatur. 1. Sam. XVI. 7. Quare
 etiam in citatis F. C. verbis dicitur, quòd credentibus & renatis non
 sit dubiandum de iustitiâ, que IPSIS imputatur, sed potius firmiter
 statuendum, quòd DEUM SIBI placatum habeant. (VI) Principium,
 à quo Certitudo illa dependet, est vel quod, vel quo. Principium quòd
 est Deus, Prov. XVI. 2. XXI. 2. terminativè Spiritus S. Rom. IIX. 16. Prino-
 cipium quo, seu medium, quo Deus Certitudinem istam in animo
 credentis & renati operatur, vel est ex parte Dei, vel ex parte homi-
 ni. Ex parte Dei non est specialis revelatio Dei, uti Concilio Triden-
 tino Sess. VI. Can. XVI. & Bellarmino Lib. III. de Justif. c. III. videtur;
 sed Verbum Dei revelatum scriptum, non exclusis Sacramentis. Nam
 in hoc sinceri Lutherani omnes cum B. Lutero in *Artis Smal-
 cald.* p. 333. *constanter perseverandum esse meritò censent, quòd Deus
 non velit nobiscum aliter agere, nisi per vocale Verbum & Sacramenta,
 & quòd, quidquid sine Verbo & Sacramentis iactatur ut Spiritus, sit
 ipse diabolus.* Per Verbum autem Dei h. l. non intelligitur Verbum
 Legis, sed Evangelii. Verè enim credentibus & renatis in verbis ali-
 quoties citatis Certitudo hæc adscribitur *juxta promissionem &
 immortum verbum Evangelii.* Hæc nimirum doctrina illa est, quam
 oportet in Ecclesiâ extare, ex qua concipiuntur p̄ certam spem salutis,
 juxta *Apol. A. C. p. 82.* Lex autem, quamvis usum in Ecclesiâ
 habeat multiplicem, ostensum in *F. C. p. 594 & 717.* Firmiter tamen &
 indubitam de præsentis Dei gratiâ peccatorumq; remissione certi-
 tudinem, certamq; de æternâ salute obtinendâ spem atq; fiduciam
 hodiè post lapsum gignere haud potest. Si enim ex lege Certitudo
 illa est, ex conditione operum pendet, quia Lex non nisi circa opera
 legalia versatur. Si verò pendet ex conditione operum nostrorum re-
 missio peccatorum, (atque sicetiam spes æternæ vitæ) *proprus eris
 incerta;* ita rectè concludimus cum *Apol. A. C. p. 95.* At verò Opera
 non sunt principium hujus Certitudinis; sed ex parte nostri illud
 sola Fides est, quæ prope quæ hominem in semet ipso certum reddit de
 vitâ æternâ, per Christum obtinendâ, 1. Joh. V. 10. 11. 12. 13. (VII.)

Ex

Ex quo simul intelligitur, non statui à Lutheranis *Certitudinem probabilem, conjecturalem & opinativam*; sed planè *infallibilem*. Quæ enim Causa, talis est Effectus. Atqui Causa hujus Certitudinis est DEUS ipse, mentiri nescius, Num. XXIII. 19. Hebr. VI. 18. ejusque Verbum veracissimum, Pl. XXXIII. 4. Joh. XVII. 17. & Sacramenta, gratiæ sigilla, sigillo omni Principis efficaciora, Rom. IV. 11. Certitudo ergo, quæ à Causis hisce, mediante Fide, gratiam à DEO in Verbo & Sacramentis oblatam recipiente, oritur, non potest non talo consistere firmissimo. Hoc in verbis nostris, ex F. C. adductis indicatur, quando de verè credentibus & renatis dicitur, quòd *illis non sit dubitandum &c. quin potius firmiter statuendum &c.* Ubi tamen distinguendum est, *inter jus, & inter factum*. Quando F. C. & cum illà Lutherani omnes asserant, verè credentibus & renatis neq; de justificatione, neq; de æternâ salute esse dubitandum, loquuntur *de jure*, quòd scilicet gratiam Dei in dubium vocare non debeant, sed quòd illis potius incumbat, firmam de illâ certitudinem animo concipere; non autem sermo illis est *de facto*, quasi verè credentibus & renatis nihil unquam dubitationis actu ipso suboriat. Non enim nescii sunt, cum dubitatione de divinâ gratiâ æternâq; salute haud rarò, præsertim horâ tentationis, vel sanctissimis non leviter esse conflictandum, quòd inter alia exemplum Aflaphi docet Pl. LXXVII. 8. seqq. Quin & hoc non ignorant, quòd non pauci illorum, qui antea fuerunt verè credentes atque renati, dubitationi hujusmodi per desperationem pro dolor! quandoque succumbant; tamen alii verâ firmâq; fide ejusdem existant victores. (IX) Deniq; nec hoc reticendum, quòd non defendatur à Nostratis *Certitudo absoluta*, divinam gratiam æternamq; salutem homini absolutè, quomodocunq; ille se habeat, promittens: Hanc enim qui propugnaret, omnem ad securitatem fenestram & ad quodvis nequitix genus latas veluti portas aperiret; Sed defendunt *Certitudinem ordinatam*, excludentem quidem, uti jam dictum, omnem de divinâ gratiâ dubitationem; adstrictam tamen ad ordinem, divinitus præscriptum, adeoque non excludentem usum mediæ gratiæ, videlicet auditionem & meditationem divini Ver-

bi ac usurpationem S. Coenae frequentissimam; non excludentem Fidem, preces, filialem Dei timorem, fugam carnalis securitatis, ceterorumq; bonorum operum indefessum studium; sed hæc omnia in subiecto Certitudinis hujus, juxta tenorem sacrarum literarum, omnino requirimus.

S. 3. Hæc itaque nostra de Certitudine salutis doctrina est, quam nobis reddere dubiam, sacramque Spei anchoram eripere audeat Sattelsdorffius, tribus in medium prolatis Argumentis, quorum primum ita se habet: Welcher seine Hoffnung auff keinen besseren Grund befestiget/ dann andere Keger/ dessen Hoffnung ist eitel. Nun aber wir Lutherische befestigen sie auff keinen besseren/ dann andere Keger; sinemahle wir mit ihnen allein bauen auff diesen Spruch: Wer da glaubt und getauft wird/ der wird selig werden/ und das thun auch andere Keger/ welche nicht conditionatè solche Worte ansehen/ sonderu absolutè. Ergo. Ad Argumentum verò hoc resp. [i] limitaudo Majorem: Quorum spes non meliori fundamento innititur, quam spes aliorum Hæreticorum, *reduplicativè consideratorum*, illorum spes vana est. Atqui spes Lutheranorum non meliori fundamento innititur, quam spes aliorum Hæreticorum, *reduplicativè consideratorum*: Sic negatur Minor. Non negamus, fieri posse, ut Hæretici, *specificativè considerati*, seu illi, qui sunt Hæretici, ad idem salutis fundamentum se recipiant, quibus spes Lutheranorum innititur, quod vel ipsorum Pontificiorum exemplis clarum est, quorum non pauci, tam antè, quam post Lutheri tempora, in extremo vitæ articulo, eandem cum Lutheranis spei salutisque anchoram, solam nimirum gratiam Dei Christi que meritum, fide apprehensum, arripuerunt, non confugientes ad Mariæ Virginis aliorumque Sanctorum intercessionem, aut ad propriorum merita operum, in quibus ceteroqvi, in doctrina Pontificiæ, spes & fiducia illorum fuisset desigenda, quæ exempla recentur Joach. Hildebrandus in *Arte bene moriendi c. VII. p. 98. seqq.* quorum similes inter alios quoque reperiri Hæreticos, sumus pervalissimi. Quod autem Hæretici, idem nobiscum salutis eligendo fundamentum, illud faciant *reduplicativè considerati*, seu

seu quatenus sunt *Heretici*, negamus, utpote quibus, sic consideratis, adeo non esse potest firmum atque validum spei salutisque fundamentum, ut hoc potius erroribus suis subvertant. Resp. (2) negando Minorem. Ad probationem dico, quod illa unum obicium per aliud æquè obicium contrahitur. Quemadmodum enim obicium, imò falsissimum est, quod spes Lutheranorum & aliorum Hæreticorum æquè validum agnoscat fundamentum: Ita quoque falsitate laborat maximâ, (a) quod Lutheranorum spes seu certitudo salutis unice huic Scripturæ S. oraculo superstruatur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, Marc. XVI. 16. cum longè plura dicta nobis suppetant, quæ in *generalia, specialia & specialissima* displicere licebit. *Generalia* sunt, quæ continent generales promissiones Evangelicas, de remissione peccatorum, omnibus in Christum credentibus impertientia, & largiendâ æternâ salute omnibus finaliter credituris, quæ sunt, Ezech. XXXIII. 11. Et XLV. 22. Joh. III. 16. V. 24. VI. 37. 47. IIX. 51. Act. X. 43. Rom. X. 4. &c. Ex dictis enim hisce unusquisque fidelium ita concludere potest: Si DEUS omnibus in Christum credentibus sanctissimè promisit remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam, sequitur, quod nec mihi de remissione peccatorum ac justitiâ, Fide mihi imputatâ, sit dubitandum, aut de æternâ salute desperandum. Nam & ego credo, & me credere certò scio, dum juxta adhortationem Apostolicam 2. Cor. XIII. 5, me ipsum exploro, an sim Fide præditus? Quod ergo DEUS promisit omnibus in Christum credentibus, illud mihi soli non denegabit. *Specialia dicta* sunt, in quibus *Spiritus S. animis* credentium in individuo testimonium perhibere dicitur, quod ipsi sint Filii DEI, ac per consequens hæredes vitæ æternæ, Rom. IIX. 16. 17. coll. cum 1. Joh. V. 10. seqq. in quibus etiâ credentes dicuntur *pacem habere ad DEUM, & gloriari in spe gloriæ DEI, spesque illa eos non confundere*, Rom. V. 1. 2. 5. imò spe jam facti esse, Rom. IIX. 24. Conf. Tit. III. 7. 8. *Specialissima* Scripturæ S. dicta sunt, quæ exempla continent fidelium, qui in vitâ hæc de æternâ salute fuerunt quàm certissimi; quæ sunt Job.

XIX. 15. Rom. IV. 18. seqq. IIX. 38. 39. 2. Tim. I. 12. IV. 8. Triplici huic locorum Scripturæ generi, cui hodiè Lutheranorum de divinâ gratiâ fiducia & spes æternæ vitæ superfruitur, jam dudum ante Lutherum, nimirum Seculo XII. Spes *Bernhardi, Viri, si Bellarmino Lib. de Scriptor. Eccles. credimus, planè Apostolici, fuit innixa*, cujus pulcherrima verba, à *Gerhardo nostro T. II. Locor. Theol. L. de Electione & Reprobatione, §. 184.* adducta, digna sunt, quæ hic adscribantur. Ita verò Doctor Mellissus scribit: *Tria considero, in quibus tota mea spes consistit: charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Marmuret jam, quantum voles, cogitatio mea, dicens: Quis tu es, aut quanta est illa gloria, aut quibus meritis hanc obtinere speras? & ego fiducialiter respondebo: Scio, cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimis adoptavi me; quia verax est in promissione, quia potens in exhibitione.* Falsum quoque est (β) quòd Lutherani cum Hæreticis Locum Marc. XVI. 16. intelligant absolute, non conditionatè. An ab Hæreticis ita intelligatur, nec ne? nihil ad nos. *Quid enim ad nos, qui sunt extra nos? Cor. V. 12.* Nos autem verba illa Salvatoris nostri non intelligimus absolute, hoc sensu: *Qui crederis? Fides ipsius vera, an falsa? sincera, an imaginaria aut hypocritica sit? nihil refert? & baptizatus fuerit,* (etiamsi post salutare hoc lavacrum per omne vitæ suæ tempus in peccatis voluntariis & regnantibus vivat, aut, instar suis, iterum iterumque ad extremum usque vitæ halitum ad volutabrum revertatur.) *salvus erit;* verum credentibus & baptizatis in verbis hæc salutem æternam adscribi statuimus, hæc suppositâ conditione, si Fides eorum sit vera; non falsa: sincera; non simulata: finalis; non *reversaria*, si etiam baptizati fuerint legitimè, ac in fœdere gratiæ, cum DEO in Baptismo inito, constanter permanferint, aut, (quæ hoc in vitæ hujus imperfectione vix à sanctissimis præstari potest) illo si exciderint, minimum in agone mortis ad fœdus illud per veram & seriam pœnitentiam reversi reperiantur. Quòd si verò conditionatum absolute à Sattelsdorffio ita opponatur, ut per conditionatum intelligatur id, quod inclusam habet conditionem legalem.

lem & operum; negatur, verba Christi conditionatè esse intel-
ligenda. Nam Bona quidem Opera in aliis Scripturæ S. Diſtis
requiruntur à credentibus & baptizatis: Nullibi tamen in pro-
missionibus Evangelicis, qualem verba hæc Christi con-
tinent, æterna falus à bonorum operum studio, tanquam à con-
ditione, suspenditur; quippe quæ (ut verba *Hutteri* LL. CC. p. 197.
mea faciam) sunt *mere gratuite & immerite, ac proinde nullo
profus operum merito limitatæ.*

§. 4. Argumentum Sattelsdorffii secundum sequens est:
Wer anders gründet seine Zuversicht/dann die Aposteln/dessen Hoff-
nung muß zu Schaum werden. Nun aber wir Lutheraner gründen
sie anders/ als die Aposteln/welche in Furcht und Zittern ihr
Heyl gewürcket Philip. 2. welche durch gute Werk ermahnet
unseren Beruf gewiß zumachen / 1. Petr. 1. 10. aus wel-
chen S. Paulus bekant: Mir ist nichts bewusst / aber in
dem bin ich nicht gerechtfertiget / 1. Cor. 4. 4. Ergo. In argu-
mento verò hoc (I.) Major non est ex omni parte vera. Nam
(1.) non tam vita, quam doctrina Apostolorum est re-
gula vitæ, ac per consequens etiam spei & fiduciæ nostræ. (2.)
Tamen verò Apostolorum vestigiis insistere jubeamur, Phil.
III. 17. vitam tamen illorum pressè sequi in omnibus nec possu-
mus, nec debemus; aliàs cum Petro Christus nobis esset abne-
gandus, Matth. XXVI. 70. 72. 74. cum Jacobo & Johanne ad-
versus contemptores Christi igne sæviendum, Luc. IX. 54 seqq.
cum Thomâ, Joh. XX. 25. & reliquis Apostolis, Marc. XVI. 11.
13. 14. veritas resurrectionis Christi in dubium vocanda &c. (3)
Speciatim verò Major propositio, absolutè posita, ideò non
procedit, quia spes Apostolorum non semper benè fuit col-
locata, e. g. Luc. XXIV. 21. coll. cum v. 25. Hisce ergo præsup-
positis, limitanda est Major, hæc ratione: Quorum spes ali-
ter est fundata, quam spes Apostolorum, quatenus hæc volunta-
ri divine fuit conformis, illorum spes vana est. Ita verò limitatâ
Major, in primis (II.) Minor negatur. Apostoli enim per gratiam
Domini Jesu Christi salvari confidebant & sperabant, Act. XV. 11

L

Eadem.

43 80
Eadem verò Jesh Christi gratia sacra spei nostræ anchora; & unica salutis nostræ prora atqve puppis est. Non obstat (1.) Philip. II. 12. Ibi enim Paulus salutem cum timore & tremore jubet operari; non in timore & tremore spem salutis collocare. Commendat Christianis piam & salutarem de salute suâ sollicitudinem; conjunctam cum timore, non fervili; sed filiali; stipatam tremore, non orto ex promissionum divinarum incertitudine, sed qvem unicuiq; incutiat jugis consideratio malitiæ Diaboli, ad peccandum sollicitate nunquam cessantis; impietatis mundi, indies ad delinquendum allicientis; propriæ deniq; carnis ad malum proclivitatæ, satanæ suggestionibus mundiqve illecebris perquam facilè ad desciscendum à DEO se induci patientis. In verbis igitur hisce abesse jubet carnalem securitatem; non firmam de divinâ gratiâ æternâqve salute certitudinem: quippe inter quam & ab Apostolo mandatum timorem atqve tremorem optimè convenit. Quemadmodum enim filius morigerus neqve de amore patris sui, neqve de futurâ hereditate hæsitare potest, non obstante, quòd patrem timeat, & non sine tremore sibi caveat, ne ad iram ille provocetur: Ita quoqve filii DEI in dubitationis labyrintho non sunt, (verba refero Antonii Marinaris, Carmelite, adducta ab Egidio Hunnio in Labyrintho Papifico, Post. 273. pag. 52.) qui per Christum adepti sunt justitiam, sed in securitate mentis, in pace conscientie, in letitiâ cordis, docti Spiritu illo, qui illis testimonium reddit, quòd sint filii DEI, audent dicere: Abba pater; quamquam interim inest illis sanctus, ille timor, ne cadant ab eo, ad quem DEI benignitate evecti sunt, filiorum honore. Quamobrem exultant, quòd Christum tenent; tremunt, ne illum amittant; quemadmodum Propheta monuit: Exultate eicum tremore. Non obstat (2.) 1. Pet. (rectius 2. Pet.) I. 10. quod satis clarum erit, si conferantur ea, quæ superius de loco hoc dicta sunt in sect. posterior. Cap. I. §. 21. n. VII. p. 57. Deniq; (3.) Dictum Apostoli 1. Cor. IV. 4. certitudini salutis, à nobis adstructæ, planè non est contrarium. Neqve enim mens Apostoli hæc est; Nihil mihi con-

scitis

scius sum de remissione peccatorum & eternâ salute meâ; sed negat de semetipso conscientiam peccati: non peccati originalis, quod in se habitare optimè noverat, Rom. VII. 18. neque etiam peccati actualis, quod involuntarium & infirmitatis nuncupari solet, quippe de quo ibidem v. 15. seqq. conqueritur: neque etiam peccatorum proæretitorum ante conversionem suam patratorem, siquidem non ignorabat, sed ingenuè confitebatur, quòd fuerit antea blasphemus & persecutor & contumeliosus, 1. Tim. I. 13. sed conscientiam peccati actualis, post conversionem suam, in munere suo Apostolico, deliberato voluntatis assensu perpetrati, de seipso inficiatur, utpote bonâ latâque factorum suorum conscientia instructus, de quâ gloriari etiam poterat 2. Cor. I. 12. Tantum verò abest, ut Paulus bonæ huic suæ conscientiæ spem justitiæ & salutis suæ superstruat, ut potius, aliquid justitiæ & salutis inde à te obtineri posse, disertè neget. Post verba enim illa: Nihil mihi conscius sum; statim addit sequentia: Sed in hoc non sum justificatus. Quibus in verbis non negat justificationem suam, fide in Christum factam; hanc enim magnâ cum *certitudine* affirmat, Rom. V. 1. Neque etiam de eâdem dubitat; erat enim, juxta tenorem Dictorum supra citatorum, de eâ longè certissimus; Sed negat justificationem, ex bonis suis operibus provenientem.

S. 5. Tertium Argumentum suum Sattelsdorffius sequentibus verbis proposuit: Wer mit Göttlichem Glauben glaubet, daß ihm durch den Glauben seine Sünde vergeben sind, und er des Himmelreichs bergewisset; der betet vergebens das Vater Unser. Dann es wäre ja Narrisch bitten, umb etwas, was sein ist. Nun aber wir Lutheraner glauben das. Ergo. Falsa est in Argumento hoc Major; falsa Majoris probatio. (1) Major bimembris est, cujus 1. membrum prius: *Qui fide divinâ credit, fide sibi sua peccata esse remissa, is frustra in Oratione Dominicâ orat: Remitte nobis debita nostrâ;* (ad hæc enim Orationis Dominicæ verba citra dubium Sattelsdorffius respicit) idè fallit, quia (a) non solum pro nostrâ; verum etiam pro proximi nostri remissione peccatorum preces ad Deum fundimus.

Orare enim iussit Salvator: *Remitte NOBIS debita NOSTRA.* P. sro ergo, qvòd ego, de meorum remissione peccatorum certus, frustra orem pro remissione peccatorum propriâ; oratio tamen illa non est frustranea ratione proximi, de cuius remissione peccatorum non omnino certus esse possum, prouti suprâ jam s. 2. n. V. fuit dictum. (S) Tametsi autem mea ipsius qvòq; peccatorum remissio in individuo in verbis illis à DEO mihi expetenda sit: Preces tamen meæ non sunt de nihilo. Quemadmodum enim de remissione peccatorum meorum certissimus sum: Ita non minùs certò scio, in remissione illâ peccata mea non ita esse deleta, ut planè nulla amplius sint; sed ut non impurentur. Qvia ergo non ignoro, me qvotidiè multifariam peccare, & nihil nisi pœnas mereri; hinc, non obstante, qvòd de præteritorum peccatorum condonatione nullus dubitem, qvotidianorum tamen veniâ delictorum à Deo gratiosissimo non incassum expeto. (2) Membrum Majoris Sattelsdorffianæ posterius hoc est: *Qui certus est de regno celesti, is frustra in Oratione Dominicâ orat: Adveniat regnum tuum.* (Non enim dubito, qvin verba hæc Orationis Dominicæ in mente habuerit Sattelsdorffius) Verùm & hoc non procedit. Aut enim in Subjecto Majoris hujus intelligitur regnum gratiæ, aut regnum gloriæ. Si regnum gratiæ intelligitur, fallit Major. Qui enim certus est de regno gratiæ, id est, qvòd sit membrum militantis Ecclesiæ, (hæc enim est regnum gratiæ) imò qvòd DEUS ipse in animo suo regnet gratiosè per verbum suum (hoc enim verè credentium & renatorum unusquisque ex fructibus regni hujus cognoscere potest, qvi sunt, *justitia, pax & gaudium in Spiritu S.* Rom. XIV. 17.) ille nihilominùs orare potest, ut adveniat regnum gloriæ. Præterea, qvi certus est, qvòd in præsentis sit civis regni gratiæ, ille non frustra DEUM invocare potest, ut ad finem vitæ suæ per veram fidem in eodem conservetur. Si verò regnum gloriæ, nimirum vita æterna, à Sattelsdorffio intelligitur, limito Majorem: Qui certus est de regno gloriæ, qvòd illud jam possideat in re, ille frustra orat: Adveniat regnum tuum. Ita verò Minor negatur. Non enim statui-

mus



8; 8;
 mus, verè credentium illum in vitâ hâc de regno gloria seu salute aternâ certum esse, quòd illud jam possideat in re; sed quòd illius spe duntaxat particeps existat. Tit. III. 7. Qui autem certus est salutis suæ in spe, is nihilominus cum magno fructu orare potest, ut illam tandem re quoque ipsa obtineat. Hæc de Majore ipsâ.
 (II) Probationis falsitatem ita demonstro: Qui petit à DEO, quod suum est, ex mente Sattelsdorffii stultè agit. Atqui Sattelsdorffius ipse, quando panem in mensâ habet, & nihilofecius, mensâ affesturus, ex petitione Orationis Dominicæ quartâ de pane quotidiano orat, petit à DEO, quod suum est: Ergo Sattelsdorffius, faciendo illud, ex mente Sattelsdorffii, stultè agit. Dicis: Conclusio est falsa & absona? Hoc & ego dico. Simul verò Majorem, quæ tua est, Sattelsdorffii, falsitatis & absurditatis arguas necesse est, utpote ex quâ falsa hæc & absurda Conclusio prono quasi alveo emanat.

CAP. III.

DE

IMPLETIONE LEGIS.

§. I. Iterum dissentio à Sattelsdorffio in Capitis titulo. Ipsi enim titulum: *Schluss = Rede von der Liebe und den Gebotten*/ hoc loco adhibere; mihi autem titulum: *De Impletione Legis*, Capiti huic præfigere placuit, eadem, quæ in superiori Capite II. §. a. adducta fuit, ratione permoto. Absit verò, ut propterea litem Sattelsdorffio moveam. In verbis enim possumus esse faciles, modò in doctrinâ ipsâ de impletione Legis conveniremus. Verùm quantum inter nos de hoc ipso fidei capite sit dissensus, ex iis, quæ dicenda sunt, erit manifestum.

§. 2. Nimirum quæstio agitur inter Lutheranos & inter Pontificios: *An Lex divina homini impleti sit possibilis?* Pontificii affirmant; negant Lutherani, ex *Apologiâ A. C. p. 91.* dicentes: *Tota Scriptura, tota Ecclesia clamat, legi non satisfieri.* Ut verò de sententiâ Ecclesiæ nostræ perspicuè constet, observandum est (I.) quæstionem in præsentem nullatenus esse de *Lege humana*

mand; sed de divinâ. (II) Non quæritur de legē divinâ temporariâ & particulari, qualis in V. T. fuit Lex ceremonialis & forensis, solos Judæos eorumque religionem & politiam usque ad adventum Messia concernens; Sed de Legē perpetuâ, & universali, quæ Lex moralis est, omnes omnino homines ad perfectissimam obedientiam obligans. Conf. Apol. A.C. p. 60. (III.) Non controversitur de impletione divinæ Legis alienâ & vicariâ, quam Christus obedientiâ suâ activâ & passivâ pro universo genere humano lapsio sufficientissimè præstitit, Gal. IV. 4. 5. & quæ à Deo nobis solâ Fide impuratur, Rom. X. 4. Sed de impletione Legis propriâ, quâ quis ipse illud perficit, quod ab omni homine summus Legislator exigit. (IV.) Neque etiam sermo nobis est de impletione inchoatâ; sed de omnibus numeris perfectâ & consummatâ, quæ perfecta sit (1.) perfectione partium, ita ut singula Decalogi præcepta impleantur: (2.) perfectione graduum, ita, ut impletio illa fiat opere, ore, corde, & quidem ex toto corde, ex totâ animâ, & ex omnibus viribus, Luc. X. 27. (3.) perfectione durationis, ita, ut impletio illa à primo vitæ nostræ momento usque ad ultimum vite halitum actione nunquam interruptâ præstetur, Deut. VI. 2. Illam non negamus; Hanc impossibilem esse affirmamus. (V.) Distingvendum autem est, inter impossibilitatem absolutam, & respectivam. Non illam; sed hanc defendimus. (VI) Ut res clarior fiat, observandum, hominem, de cujus impletione nunc quæstio est, secundum Formulam Concordiæ p. 578. & 654. in quatuor, & quidem valde diversis statibus, consid. vari posse, videlicet (1) in statu ante lapsum, qui aliàs dicitur status innocentie atque integritatis; (2) in statu post lapsum ante conversionem, quem alii vocant statum corruptionis & miserie; (3) in statu post regenerationem, qui aliis status gratie salutatur; (4) in statu post resurrectionem carnis, qui iterum duplex est, partim gloriæ, beatorum; partim ignominie, damnatorum. Quando itaque hoc loco quæstio ventilatur: An divina Legis impletio homini sit possibilis? negativam quidem tucmur; neutiquam verò impossibilitatem absolute & simpliciter talem homini tribuimus; verum docemus () quòd homini in statu*

statu ante lapsum impletio divinæ Legis non fuerit impossibilis; id quod ex *Apologia A. C. p. 53, & 54.* clarum est, quæ homini in statu integritatis adscribit *rectitudinem & vim ista efficiendi, quæ non tantum secunda tabula Decalogi, sed prima quoque continet.* Et hanc impletionem statuimus fuisse perfectam; licet non meritoriam. *Luc. XVII. 10. Conf. Egidii Hunni Quest. de Justificatione, f. m. 58. b. Franzii Diss. in Aug. Confess. P. II. Diss. X. n. XLVII. & XLIX. Calovii Theol. Posit. §. DLXXXVI. p. 275. (B)* De homine post lapsum, ante conversionem considerato, docemus, quod facere queat opera externa legi conformia; non autem obedientiam internam eidem præstare. *Quoniam, scribit A. C. Art. XLIX. p. 15. externa opera aliquo modo efficere natura possit; potest enim continere manus à furto, à cæde: Tamen interiores motus non potest efficere, ut timorem DEI; fiduciam erga DEUM, castitatem, patientiam &c. Conf. Apol. A. C. p. 61. 64. 84. 218.* Docemus (Y) quod homini in statu post regenerationem, ex viribus non natis; sed dativis Spiritus S. possibilis sit impletio divinæ legis inchoata; impossibilis verò consummata. Nam ex *Apologia A. C. p. 85. profitemur, quod necesse quidem sit, INCHOARI in nobis, & subinde magis magisque fieri legem; veruntamen nos LONGE abesse ab impletione (consummatâ) legis. Quin & hoc non diffitemur, inchoatam legis impletionem, quam oportet existere in nobis, juxta Apol. p. 101. in nobis esse exiguam & immundam, p. 89. & vix imbecilem & exiguam etiam Sanctis contingere, p. 121.* Docemus (D) in hominem, quoad statum gloriæ spectatum, impletionem legis cadere longè perfectissimam. Nam in illo statu, juxta *Lutherum in Catech. Maj. p. 501. habebit perfectam & absolutam sanctitatem, & in futurâ vitâ remissioni locus non erit amplius, sed homines in universum ab omni peccatorum contagio puri & sancti, pleni omni probitate atq. justitiâ, suberati & liberati à peccatis sunt futuri. (E)* De homine, in statu ignominie spectato, an is quoque aliquâ ratione divinam legem facere queat? vix quidem aliquid in Libris nostris Symbolicis reperietur: Theologorum tamen non postremi sententiæ Gerhardi subscribunt, qui alicubi in *Dissertationi*

rationibus Isagogicis de damnatis hominibus asserit, quia mori-
antur in peccato, nec remisso, nec mortificato, ideo peccatum reddi
in ipsis immortale; & T. IX. Locor. Theol. L. de Inferno p. 76. variis
argumentis probat, actiones damnatorum omnes malas esse futu-
ras. Quamquam verò sententia illa deferatur ab aliis, prouti
in *Hendecade Theſium Theologicarum de ſtatu anime humane poſt
exceſſum, Theſi XI.* oſtendit Plurimum Reverendus Dn. Roſeuſche-
rus, Patronus atq; Præceptor meus ætatem colendus: Noſtrum
tamen non eſt, litem iſtam in præſenti dirimere, cum hoc loco
non quæſtio ſit de homine damnato; ſed cardo præſentis contro-
verſiæ non niſi in eo vertatur: *An homo renatus & ſub gratiâ
conſtitutus in hâc vitâ legem Dei moralem ipſe perfectè implere poſſit?*
Id quodâ nobis negatur; à Pontificiis autem affirmatur, quorum
aſſertio in *Concil. Trident. Sess. VI. Can. XIX.* ita ſonat: *Si quis
dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato & ſub gratiâ conſtituto
eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anatHEMA ſit.*

S. 3. Videamus autem, quas machinas Sattelsdorffius ad-
moveat, ad doctrinam noſtram, Verbo Dei munitam, everten-
dam. Primùm inſurgit hoc ratiocinio: *Wer GOTT nicht
liebet / noch lieben kan / Der iſt ein Kind der Verdammuß.* Dann
wer nicht liebet / der iſt des Todes / Joan. 3. 14. Nun aber
wir Lutheraner können Gott nicht lieben. Dann wer Gott liebet/
Der hält ſein Gebott i. *Joan. 14. 21. u. 1. Jo. 2. 5.* Wir Luthera-
ner aber können dieſelbe nicht halten / und inſonderheit das ſechſte wie
du eſ ſelbſt geſteheſt / und deſwegen Lutheraner von ſeinen Gelübden ab-
ſolvireſt / daß ihme die Keuſchheit zu halten unmöglich wäre ſol: 4.
Ja Luther lehret in dem Buch von Chriſtlicher Freyheit: *Es ſeynd
uns alle Gebott alſo unmöglich / als diß einſige / du ſolt
nicht begehren / und in ſeiner Bibel durch Hans Krafft gedruckt
ſol: 408.* über die Epiftel zum Galatern ſchreibt er: *Man kan ſie
nicht halten. An vielen andern Orten: Sie treffen uns nicht
an / ſondern die Juden / &c.* Folgen wir deſſer Lehr Lutheri/
wie du dich rühmeſt f. 6. ſo können wir GOTT nicht lieben. Ergo
ſeynd wir Kinder der Verdammuß. Reſp. (1.). limitando Majorem (1.) à

[1.] *à parte Subjecti*: Qui DEUM *planè & simpliciter* non diligit, *neq; qvoad affectum, neq; qvoad effectum; neq; inchoativè, neq; con-*
summativè, eumq; diligere haud potest, neq; ex viribus nativis,
neq; ex viribus dactivis Spiritus S. ille est filius aeternæ damnationis.
 Sub hâc verò limitatione negatur Minor. Non enim Lutherani
 docent impossibilitatem diligendi DEUM absolute & simpliciter,
 sed secundum quid talem. Conf. §. 2. *Limite Majorem (2.) à par-*
te Prædicati: Qui DEUM non diligit, neq; illum diligere
 potest, is est filius seu reus aeternæ damnationis. *καὶ ἐκεῖνος οὐκ ἔστι*
Legis: Ita vera est Major, & totum Argumentum conceditur. Lex
 enim divina non solum actus, verum etiam potentiae DEUM di-
 ligendi absentiam arguit, aeternisq; supplicis dignam judicat.
 Unde si vel sanctissimorum dilectio secundum divinam rigorem le-
 gis examinatur, ne illa quidem, propter adhaerentes ipsi imperfectio-
 nes, à fulmine maledictionis reatuq; aeternæ damnationis est
 exempta, argumento Dictorum Deut. XXVII. 26, Jac. II. 10. Quo
 fit, quod & sancti rigorosum illud divinae Legis examen atq; ju-
 dicium quam humillimè deprecantur, Psal. CXXX. 3, CXLIII. 2.
 Tametsi autem omnis homo, etiam renatus, quia DEUM non
 diligit perfectè, nec illum perfectè in vitâ hâc diligere potest, aete-
 rnae obnoxius est condemnationi, *καὶ ἀπεβόηκται* *Legis*:
 Ille tamen, qui impletionem Christi vadamonialem, quam pro
 omnium & singulorum hominum peccatis eorumq; poenis obe-
 dientiam vitæ & mortis suae sufficientissimè præstitit, verâ fide
 sibi applicat, à reatu illo absolvitur, idque *καὶ Πιέριδος Evan-*
gelicam Rom. II. 1. Juxta hanc enim Deus juri suo rigido non
 ita rigidè insistit; sed quicquid renatorum dilectioni imperfecti-
 onis adhaeret, gratis propter Christum condonat; quin & im-
 perfectam illam dilectionem in personâ, fide sibi reconciliatâ, sibi
 placere finit, præmiisque gratiosè afficit. Resp. (II) *ad proba-*
tionem Majoris, quod in illâ non solum locus Johannis minùs
 rectè allegetur; verum etiam verba ipsa Johanna truncata ad-
 ferantur, & minimè Propositionem Majorem confirmant. Cita-
 tur locus Joh. III. 14. Ibi verò de dilectione DEI nulla syllaba
 reperitur; sed verba ejus hæc sunt: *Sicut Moyses exaltavit ser-*

M

pentem

888

penitent in deserto: *Ita exaltari oportet Filium hominis.* Licet
verò erratum hocce incuriæ typographi imputari fortè queat,
& locus 1. Joh. III. 14. intelligi debeat: verba tamen loci hujus
truncata esse, non potest negari. Nam illa, juxta Sattelsdorffium,
ita se habent: **Wer nicht liebet/der ist des Todes;** in fonte autem
Græco ita fluunt, *Ὁ μὴ ἀγαπᾷ τὴν ἀδελφὸν, μένει ἐν τῷ θανάτῳ,*
& à Luthero nostro rectè sunt translata: **Wer den Bruder nicht
liebet/ der bleibet im Tode.** Ex quo simul videre est, Dicto illo
Majoris Sattelsdorffii nequicquam probari. In Subjecto enim
Majoris Sattelsdorffiani *de dilectione Dei:* **Wer Gott nicht liebet;**
in Subjecto autem Dicti Johannæ *de amore proximi,* specia-
tim de illo, quo verè confortes religionis complectimur, agitur:
Wer den Bruder nicht liebet: In prædicato Majoris Sattelsdorffia-
ni *reatus mortis æternæ.* **Der ist ein Kind der Verdammnis;** in præ-
dicato autem dicti Johannæ *permanfio in morte spiritali,* quæ
status peccati est, gratiæ statui è diametrò oppositus, intelligitur:
Der bleibet im Tode. Dicit enim Apostolus in antecedentibus,
eodem hoc versiculo: *Scimus, quòd è morte in vitam translati sumus.*
Quemadmodum verò per vitam non vita gloriæ, sed gratiæ
intelligitur; siquidem non illius, verùm hujus in vitâ hâc natu-
rali, & quidem in conversione, reddimur participes: Ita è con-
trario per mortem neutiqvam mors æterna, sed spiritalis indi-
gitatur. Dilectio autem Dei & dilectio proximi, itemq; perse-
verantia in morte spiritali, & reatus mortis æternæ, non sunt
æqvipollentia. Resp. (III.) *ad Minorem,* illam sub limitatione,
n. I. i. datâ, negando. Probare quidem eam conatur Sattelsdorffius
novo argumento: Verùm in eo [1] Dicta Scripturæ S. perperam
citantur. Factum hoc est in Majore, quæ sequens est tenoris:
Wer Gott liebet / der hält sein Gebot. Adducun-
tur Dicta 1. Joh. XIV. 27. & 1. Joh. I. 5. sed utraq; citatio fallit: Prior,
quia prima Johannis Epistola Capitibus quinque tantùm absol-
vitur; posterior autem, quia nihil in eo loco de divinatorum
mandatorum impletione reperitur. Quid? quod S. Johannes in
Capite hoc nostræ potiùs, quàm Pontificiorum sententiæ patrocini-
natur

Natur. Scribit enim v. 8. & 10. Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si dixerimus, non peccavimus, mendacem facimus eum, & sermo ejus non est in nobis. Unde sic infero: Quicumque de renatis dicit, illos peccatum non habere, neque peccare, is homines seducit &c. Qui docet, renatos in hac vita divinam legem perfecte implere; is dicit de renatis, illos peccatum non habere, neque peccare. Ergo, Major pronâ consequentiâ ex verbis Apostoli fluit. Si enim renati ipsi, dicentes, quod peccatum non habeant, neque peccent, se ipsos seducunt, necessariò etiam alii, idem de ipsis dicentes atque docentes, alios seducunt homines. Minor est clara, quia hæc sunt *indivisa*, Legem DEI perfecte implere, & peccatum non habere, neque peccare. Præter fallam Scripturæ citationem, in Majore factam, Sattelsdorffius (2) in Minore ad Responsonem Lutheranam non bonâ fide provocat. Scribit enim: Wir Lutheraner können dieselbe (Gebothe Gottes) nicht halten/ und insonderheit das sechste/ n. wie du es selbst geschehest/ und deswegen Lutherum von seinen Gelübden absolvirest/ daß ihme die Keuschheit zuhalten unmöglich wäre/ fol. 4. At verò Responso Lutherana nec absolutam aliquam sextum aut aliud Decalogi præceptum implendi impossibilitatem docet, nec Lutherum ob simplicem servandæ castitatis *ad v. p. i. n.* à voto suo Monachali, quod perpetuæ castitatis vocant, absolvit; sed verba ejus hæc sunt: Wie schicket sich aber Hr. Lutheri Beyspiel hieher/ welcher Menschen-Sagungen/ dergleichen das Kloster-Gelübde von ewiger Keuschheit ist/ fahren lassen/ daß er dem Göttlichen Willen und Befehl nachleben möchte/ statemahl die Ehe Gottes Heil-Stiftung ist/ daraus man in Wapstisches Kirchen gar ein Sacrament machen/ und doch den Geiſtlichen verbiehen darff ehlich zu werden/ solten sie auch lieber ein Duzent Concubinen auff der Streue halten/welches benahmte Lehrer unter ihnen für besser halten und ausgeben dürffen. Lieber/ was saget aber der Heil. Geist dazu in seinem Worte Schlage nur auff/was 1. Timothy. IV. 1. 2. 3. geschrieben stehet/ so wirstu Hrn. Luthero ferner nicht verübeln/ daß er Gott mehr als den Menschen gehorchet/ da es auch dighals billig heißen mögen: *In male promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod temere votiſti, ne facias G.*

Ma
nach

nach dem Spruch Sidorii, so auch in dem Päpstlichen Recht *Canon. in mal. caus. 22. q. 4.* angezogen worden. Quibus ex verbis dilucide patet, longe alias, quam Sattelsdorffio fingere libuit, neglecti à Luthero Monachalis voti adferri rationes, præcipue verò divi. nam conjugii institutionem & mandatum, hominum traditionibus longissime præferendum. Non solum verò ad *Responsionem Lutheranam*; verùm etiam (3) ad Lutheri auctoritatem, peperam provocatur. Pergit enim Sattelsdorffius (a) verbis planè ijsdem, quibus Bellarminus *Lib. IV. de Justif. c. X.* utitur: Ja Luther lehret in dem Buch von Christlicher Freyhelt: **Es leynd uns alle Geboth also unmüglich / als die einigte / du sollt nicht begehren.** Jam verba quidem Lutheri in citato *de Liberate Christiana* libro T. I. Jen. L. f. 465. a. hæc sunt: *Exempli causa, non concupisces, præceptum est, quo nos omnes peccatores esse convincimur, enim nemo possit non concupiscere, quidquid contra molitus fuerit. Quod autem hoc uno præcepto agitur, idem omnibus agitur. Equè enim nobis sunt impossibilia omnia.* Quod si verò Sattelsdorffius putat, in verbis hisce doceri, legem divinam esse planè impossibilem, quod de suo Bellarminus l. c. addidit, oppidò fallitur. Quando enim Lutherus asserit, omnia præcepta Decalogi nobis esse impossibilia, eo ipso non negat *impuram* Legis *impletionem*; quia statim post allata verba f. 465. b. subjungit: *Si vis Legem implere, non concupiscere, sicut Lex exigit, es tibi, crede in Christum.* — Nam quod tibi impossibile est, in universis operibus Legi, — *facili compendio implebis per fidem.* Neque etiam negat *impletionem* Legis *inchoatam*, sed *consummatam* & *perfectam*, quâ (uti idem in *Disp. de Lege, Post. 65. T. I. Jen. Lat. f. 54. b.* loquitur) usq. ad *minimum* apicem & *jota* Lex *impletur*. Expressè enim in libro eodem f. 458. a. ait: *Donec in carne vivimus, non nisi INCIPIMUS & proficimus, quod in futurâ vitâ PERFICIETUR.* (ß) Qvalis illa sit Codicis sacri Germanica Versio, in quâ, si Sattelsdorffio credere fas est, super Epistolâ ad Galatas hæc Lutheri verba reperiantur: *Man kan die Gebot Gottes nicht halten; libenter fateor, me ignorare, cum videre illam mihi non licuerit. Quoquo verò modo cum illâ res se habeat; certissimum tamen est, verba illa*

Lutheri

Lutheri, si super Epistolam ad Galatas reperiantur, aut in Lutheri super hanc Epistolam Praefatione, aut in Notis marginalibus quaerenda esse. Neutrubi verò apparent; sed in *Praefatione super Epistolam ad Romanos* pauca quaedam de impotentia divinam Legem implendi monuit, inter alia docens, *das kein r aus Herzen Grund Gottes Befehl halt/ noch halten kan.* Ad quæ verò si forte Sattelsdorffius provocare voluit, subdolè verba: *aus Herzen Grund* reticuit; quæ si probè attendantur, clarissimum est, non doceri à Luthero impossibilitatem absolutè, sed secundum quid talem, videlicet talis impossibilitatem impletionis, quæ ex toto animo proficiatur, & omnibus numeris sit perfecta. (V) Quo in libro Lutherus docuerit, *quod præcepta DEI, & quidem moralia, (de his enim unice h. l. quaestio est) nihil ad nos, sed ad solos Judæos pertineant;* Sattelsdorffius ex Scriptis Lutheri ostendere debuisset. Quod quia non fecit, calumnia ejus eadem facilitate à nobis rejicitur, quàm ab ipso adducitur. Ut tamen brevibus ad hoc quovque, quicquid est, objectionis respondeam, concedo, Lutherum asserere, quòd Lex Moïsi, quatenus Legem ceremonialem & forensè complectitur, Christianos hodie non concernat, sed solos olim Judæos obligaverit; *Conf. T. III. Jen. Germ. f. 166. b. seqq. & f. 434. a.* Nego verò atque pernego, quòd, à Lege etiam morali Christianos in N. T. exemptos esse, docuerit. Contrarium enim, si non aliunde, ex sex Disputationibus, contra Antinomos, quorum solennis vox erat: *An Salgen mit Moïse!* à Luthero habitis, perspicuum est, quæ exhibentur *T. I. Jen. Lat. f. 554. b. seqq.*

S. 4. Superato amne hoc, nondum res in vado est. Ita enim Sattelsdorffius ratiocinando perguit: *Wer immer in die gehen in das Reich der Himmel/ der soll halten die Gebott Matth. 19. 17. Das sagt Christus/ der kein leichtsinniger Mensch oder Dofsenreißer gewesen.* (Qvis Lutheranorum unquam hoc de Christo affirmavit?) *Nun laut unser Lehr können wir sie nicht halten.* Ergo. Resp. (I.) ad formam hujus Syllogismi, quòd labore vitio quinque terminorum. Termini enim, ex quibus est conflatus, sunt sequentes: (1.) *Qui vult ingredi regnum cælorum.*

M 3

(2) is

49 92
(2.) is debet servare præcepta, (3) Lutherani, (4.) non possunt servare præcepta, (5.) non possunt ingredi regnum cœlorum. Resp. (II.) ad materiam ipsam, limitando Majorem: Quicumque vult regnum cœlorum ingredi per bona opera, illum præcepta Dei oportet servare. Atqui nos Lutherani (secundum doctrinam nostram) præcepta DEI non possumus servare: (scilicet perfecte, uti supra dictum) Ergo neque regnum cœlorum ingredi possumus per bona opera: Ita totum argumentum conceditur. Non enim per B. O. sed per solum Christum, veram fide apprehensum, æternam salutem potiri hominem posse, statuimus. Act. IV. 12. Ne autem limitationem sine fundamento adjectis videar Majori, age! Textum ipsum inspiciamus, & apparebit, in illo illam optimè esse fundatam. Quæsierat nempe ex Christo juvenis, qui ægrotus salutatur Luc. XIX. 18. Quid BONIFACIAM, ut habeam vitam æternam? v. 16. adeoque per bona opera ad vitam æternam contendebat. Respondit Christus v. 17. Si vis ad vitam (per bona opera, quemadmodum ipse dixisti) ingredi, serva mandata. Ratio datæ à Christo responsionis hæc est, quia in Lege promissio facta: Quisquis ea fecerit, vivet per ea, Levit. XIX. 5. Quo ipso verò nequaquam possibilitatem aliquam, aut Legem DEI perfecte implendi, aut per B. O. vitam æternam consequendi adstruxit; sed quemadmodum, si forte Medicus præcipiat ægroti, gravi morbo decumbenti, & nihilominus optimam valetudinem quam firmissimè sibi imaginanti, ut è lecto surgat, vestes induat, recto gradu incedat, secumque ad forum se conferat; hoc ipso non innueret, id, quod ab ægroti postulavit, in ipsius viribus esse positum; quin potius eo sine ea proferret, ut æger ad morbi, cum quo colluctatur, gravissimi agnitionem perderetur: Ita Christus quoque, animarum Medicus, præceptum illud non alio sine juveni huic proposuit, nisi ut eum, in quaestione sua B. O. crepantem, v. 16. & imaginariæ perfectionis opinionem turgidum, v. 20. imperfectionis lux argueret atque convinceret, Marc. X. 21. Luc. XIX. 21, & hinc ejus, quem impensissimi amoris funiculis ad se quasi trahebat, Marc. X. 21. æternam salutem promoveret, Matth. XIX. 23, Marc. X. 23, Luc. XIX. 24.

S. 5.

§. 5. Annoñ verò in DEUM sumus injurii, cumqve ty-
rannidis tacitè accusamus, quia illum impossibilia præcipere di-
cimus? ita quidem videtur Sattelsdorffio cum Bellarmino Lib. IV.
de Jusfice, XIII. & Pontificiorum aliis: Hinc præfens Caput se-
quenti Syllogismo obfignavit: *Wer auch mit Gottes Hülf nicht
kan halten die Gebott/ insonderheit das sechste und neunde/ der
macht GOTT unmächtig/ und grausahmen Wütherich/ der mehr
befehlt als man tragen kan/ und ist ein Buhler ja gar Ebrecker.
Nun das saget und lehret Ihr H. Hr. Pastoren mit Luthero. Ergo.
Sed levi hæc negotio possunt dilui. Quando enim (1.) ita con-
cluditur: Quicumque docet, hominem, ne divinâ quidem gratiâ
adjuvum, præcepta DEI implere posse, is DEUM impotentia arguit;
Major negatur. Adjuvat omninò DEUS renatos gratiâ suâ, imò
non solum eos adjuvat, sed potius solus ipse viribus desuper
eos instruit, ut bene secundum legem operari valeant: Verum-
tamen si hæc operatio DEI, sit sufficientissima atqve perfectissima;
non tamen ita perfecta est admissio operationis hujus in homine.
Unde renovatio Sanctorum, quæ à parte DEI est perfectissima,
à parte hominis in vitâ hâc manet imperfecta, propter peccatura
originis, omnibus adhærens, cujus sensus & radix in beatâ mor-
te demum tollitur. Itaque non in DEUM, sed in hominem ca-
dit impotentia, & locum hîc etiam habet tritum illud: *Recepti-
vum non recipit ad modum imprimendis, sed receptivitate sue.* Quan-
do Sattelsdorffius (2.) argumentatur: *Qui docet, hominem ne per
DEI quidem gratiam præcepta DEI implere posse, is docet, DEUM
esse tyrannum, plura præcipientem, quàm homo præstare queat;*
iterum negatur Major. Quemadmodum enim creditor, à debi-
tore, suâ ipsius culpâ ad incitas redactò, aut ab ipsius hæredibus,
exigens debita, non tyrannus est, sed justissime agit, quia uni-
cuique jure optimo exigere licet, quæ sua sunt: Ita quoque
DEUS, perfectam legis impletionem à nobis exigens, non est
injustus aut tyrannus, quia licet post lapsum careamus facultate
illam præstandi; viribus tamen sufficientissimis instruxerit ipse
nostros protoplastos ante lapsum, quibus divinæ voluntati exactè
latis.*

tatisfacere potuissent; Quas etiam si, suā nempe in se rē culpā amiserint; sine omni tamen iniustitiā à nobis, ij forum pōsteris hodiernum illud repetit, quod suum est, & quod n̄ illorum personā omnibus hominibus crediderat. ¶ Quando Sattelsdorffius (3.) sic infert: *Qui praecepta DEI servare non potest, is est scortator & adulter;* limitanda est Major [ca.] *Qui praecepta DEI servare non potest, is est scortator & adulter, in foro poli,* concedo; *in foro soli,* nego. *In foro soli* is tantum scortator habetur & adulter, qui opere externo scortationem & adulterium committit; *cogitationum autem poenam nemo ibi patitur:* Sed longè alius processus est *in foro poli.* Hic enim & ille scortationis & adulterii judicatur reus, in cujus animo perverſæ contra præceptum sextum concupiscentiæ & cogitationes deprehenduntur, Matth. V. 28. *quemadmodum & ille in foro eodem homicida est, qui iram suam in animo suo odio prosequitur,* i. Joh. III. 15. (8) *Qui praecepta DEI nullā prorsus ratione servare potest, is est scortator & adulter.* Sub hâc verò limitatione negatur Minor. Non enim docemus, præcepta DEI *nullā prorsus ratione* servari posse; sed quòd *perfectè impleri* queant, semper à nobis fuit negatum.

§. 6. Odoratus est Sattelsdorffius, ultimam hanc responſionem allatum iri: *Quare adversus eam ita se præmunivit: Sagen wir: Man kan sie nicht vollkommenlich halten? Es so fallen wir schon ab von Luthero/auff welchen wir uns beruffen/ und bleiben jedoch in selbiger Verdammniß; don bey uns alles Verbrechen ist tödlich: oder wir müssen umbsatteln / und zulassen lästliche Sünde mit den Catholischen.* Ast munimentum hoc admodum ruinofum est, utpote mendaciis innixum. Ubi enim docuit Lutherus, legem moralem ab homine post lapsum nullā prorsus ratione, ne imperfectè quidem, posse impleri? Audi Lutherum ipsum, Sattelsdorffii, *in Commentario suo priori super Epistolam ad Galatas, T. I. Jew. Lat. f. 447. b.* in faciem tibi contradicentem: *NON ait, implemus legem PERFECTE.* Et quis Lutheranorum unquam docuit, delicta omnia esse mortalia, nulla autem venialia? Amplectimur & nos discrimen peccati mortalis & venialis; quam-

VIS

vis in alio sensu, quàm Pontifici. Hi enim, si Bellarmino Lib. 2. de Amissione gratiæ & statu peccati c. IV. fides habenda, decem communi consensu, peccata quaedam ex naturâ suâ esse mortalia, quaedam venialia, & prioribus quidem (nempe mortalibus peccatis) indignum reddi hominem amicitiam DEI, & mortis æternæ reum; posteriora verò, nimirum venialia peccata, non esse tam gravia, ut reatum sempiternæ mortis efficiant, (Ibid. c. XI.) sed esse ejusmodi, ut penam quidem mereantur: sed non æternam, & DEUM offendant; sed non usque ad amicitiam dissolutionem; (Ibid. c. IX.) verum eiusdem temporalis tantùm supplicii paternæque castigationis hominem reum constituat. (Ibid. c. IV.) Nostra verò doctrina hæc est, peccata quaedam esse mortalia, quaedam venialia: Illa quidem per se & ex naturâ suâ; Hæc verò per accidens. Per se & ex naturâ suâ venialia quoque peccata esse mortalia, videlicet non actu, quòd eo ipso momento, quo committuntur, mortem spiritualem & æternam inferant; sed merito, quia spirituali & æternâ mortē digna sunt. Venialia autem sunt, non merito; sed eventu, quia eo ipso momento, quo perpetrantur, veniam indivulso nexu conjunctam habent: non formativè & in se considerata; sed spectata subjectivè, nimirum in renato, desiderii carnis suæ virtute Spiritus S. repugnante: non secundum Rigorem legis; sed secundum moderationem Evangelicam; non secundum divinam justitiam; sed secundum immensam DEI gratiam & in Christo Jesu fundatam misericordiam.

S. 7. Ex promisso superiori Cap. I. §. 22. p. 57. dato, ad Scripturæ S. Dicta progrediendum nunc est, quibus possibilitatem, divinam Legem implendi, supra Cap. I. §. 1. p. 49. munire ausus fuit Sattelsdorffius. Illorum duo protulit in medium, quorum prius Joh. XII. posterius autem Rom. II. est quærendum. Quod autem ad (I.) attinet, videre certè non possum, ex quo versiculo Capituli illius aliquid saltem ad speciem pro possibilitate hæc exculpi queat. In toto enim Capite nullibi de Legge, multò minus de perfectâ impletione Legis vestigium ullum apparet. Huc equidem v. 30. trahere videtur Cornelius à Lapide, quando in Commentario super b. l. p. 442. b. ad verba Christi; Et scio, quia

N

MAN-

mandatam ejus vita eterna est, ita commentatur: *Hoc est, causa est & via, ducens hominem ad vitam aeternam, juxta illud: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, Matth. 19.* Quis verò non videt, expositionem hanc valde esse contortam? Loquitur enim Christus de mandato, quod Pater sibi dederat, v. 49. Mandatum verò hoc non est legale, quare Math. XIX. 17. intelligitur; sed Evangelicum. Illud DEUS olim dederat Moysi; Hoc in N. T. dedit Christo, Joh. I. 17. Illius summa est: *Fac hoc!* Luc. X. 28. Hujus autem summa est: *Crede in Christum!* Joh. VI. 40. In illo ostenditur, quid hominem ipsum implere oporteat; In hoc verò docetur, quid Christus loco hominum impleverit: Illud, tamen si per se ad vitam datum sit; per accidens tamen post lapsum ad mortem cedit, Rom. VII. 10. Hoc autem hodie post lapsum est causa & via ducens hominem ad vitam aeternam. Quanta autem temeritatis est, ea, quæ Evangelii sunt, ad Legem detorque, & impletionem Christi acquisitam vitam aeternam ipsius hominis impletioni alligare? (II.) Nescio, an Sattelsdorffius ex Rom. II. v. 13. allegare voluerit, ubi Apostolus ait: *Non auditores, sed factores Legis justificabuntur.* Quod si ad versiculum hunc cum Cornelio à Lapide Comment. in b. l. p. 46. & 47. respexit, resp. verum esse, effectum Apostolicum de factibus Legis perfecte talibus. Quod verò tales non dentur post lapsum, id ipsum est, quod Paulus in tribus prioribus Capitibus hujus ad Romanos scriptæ Epistolæ operose probat. Nam sicut in Capite I. Ethnicos peccatores esse demonstrat: Ita in secundo Capite Judæis sanctitatis & perfectionis larvam detrahit; imò in Capite III. utrosque uno ordine habet, inter alia v. 23. inquires: *Non est distinctio: OMNES enim peccaverunt, & egent gloria DEI.* Quæ sententia Apostoli Sattelsdorffio, veluti antidotum puritatis suæ perfectionis atque impletionis, eò accuratius est perpendenda, quò verius de illà à Cornelio à Lapide l. c. p. 57. b. dictum fuit: *Hæc sententia sternit omnium hominum superbiam (quæ ex impletionis opinione per quæ facile suboriri potest) omnium crispas desiccat (quas sanctitatis pervasione tumentes justo altius erigunt) omnesque peccati com-*

*demerit, omnes peccatores ira DEI obnoxios pronunciat, omnes mem-
bricos & egenes DEI gratiâ, omnes supplices DEO facit; ut non
nisi ad DEI gratiam, (Ergo non ad propria merita propriamque
legis impletionem) clementiam, misericordiam & indulgentiam
provocare & appellare possint. Qui ergo propria virtutis (impleti-
onis) aut sapientie opinione inflatus sumet, audiat hanc DEI sen-
tentiam: OMNES PECCAVERT, ET EGENT GLORIA
DEI: sibi que cam applicans dicat: Ergo & ego peccavi, (non im-
plevi divinam Legem) ergo & ego peccator sum & ego magnâ &
gloriosâ DEI gratiâ & misericordiâ. Ue, quid ergo superbiam? us, quid
tumeam? quid sapientie, virtutis, (impletionis & perfectionis) bono-
ris & laudis mibi arrogabo? præsertim si considerem illud, quod ait.
S. Aug. l. 50. Homil. Homil. 23. 10. 10 NULLUM EST PECCATUM,
QVOD FECIT HOMO, QVOD NON POSSIT FACERE AL-
TER HOMO, SI DESIT RECTOR, à QVO FACTUS EST
HOMO. Rursum, si considerem, quid sicut in peccato conceptus &
natus sum, ita pariter in peccatis vivo, & in peccatis moriar:
Peccator ergo in mundum veni, peccator vivo, peccator moriar.*

CAPUT IV. DE SACRAMENTIS.

S. **Q**uanquam nobis cum Pontificiis controversia non una de
Sacramentis intercedat: Solet enim inter nos disputari
de nomine Sacramenti, de definitione, causis, effectu Sacramento-
rum, & quæ sunt alia: In præsentî tamen Capite tantum de
spuriis nonnullis Sacramentis agendum erit, quæ à Nostratibus
ex verorum numero Sacramentorum remouentur; à Pontificiis
verò cum genuinis ordine eodem habentur. Numerantur nimi-
rum in Ecclesiâ nostrâ Lutheraniâ duo tantum Sacramenta N. T.
propriissimè & specialissimè sic dicta, videlicet, *Baptismus*, tan-
quam Sacramentum Initiationis, & *Cena Domini*, tanquam Sa-
cramentum confirmationis. juxta hanc autem vocis significatio-

N a

nem

98
nem è censu Sacramentorum excluduntur Confirmatio, Penitencia, extrema Unctio, Ordo & Matrimonium. E contrario verò Pontifici in Professione fidei orthodoxæ, juxta Decretum Concilii Tridentini editâ & Cosleri Libello sodalitatæ præmissâ, profertur, septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis, à Jesu Christo, Domino nostro, instituta, & arque ad salutem humani generis, licet non omnia singulâ, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Penitentiam, extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium.

S. 2. Hæc Ecclesiæ suæ Sacramenta ut defenderet, & nostram contrâ sententiam oppugnaret, missâ Confirmatione & extremâ Unctione, à Penitentia initium facit Sattelsdorffius, adversus Pastorem Lutheranum hunc in modum insurgens: Wer da lehret, daß die Buße kein Sacrament sey, eingelegt von Christo zu Vergebung der Sünden / und dennoch Beicht verhöret / und stellet sich, als ob er die Sünde vergebet, das ist ein kene Dürstiger. Dann zu was Ende gehret Beicht - Kind zur Beicht, als allein, daß ihm die Sünde in der selbst vergeben werden. Nun aber das lehret ihr, mein Herr Pastor f. 14. und dennoch höret ihr Beicht. Ergo In Argumento hoc varia miscentur quæsitæ, quæ segreganda & ad singula sigillatim respondendum. Quæritur ergo (1.) Num in Responsione Lutherana loco à Sattelsdorffio citato doceatur, penitentiam non esse Sacramentum? Resp. id disertis verbis ibi non docetur, sed matrimonium non esse Sacramentum N. T. variis argumentis à Pastore Lutherano demonstratur: Illud tamen ex verbis p. 14. & 15. adhibitis fluit. Ibi enim supposita vera Sacramentorum descriptio non nisi Baptismo & Cœnæ Domini competere dicitur; ex quo omnino sequitur, illam non competere penitentia. Si autem hæc penitentia non convenit, sequitur, penitentiam non esse Sacramentum. Cui enim non competit definitio, ei nec definitum competit. Itæ verò Propositio Major nullius est ponderis: Qui negat, quod penitentia sit Sacramentum N. T. is impostor est; quia idem in infallibili verbo DEI negatur. Quæritur (2.) An in Responsio-

ne Lutherana doceatur, quod penitentia à Christo non sit ingiuita ad remissionem peccatorum. Resp. hoc neque in Responsione Lutherana, neque ab ullo Lutheranorum asseritur; utpote quorum nemo ignorat, finem & effectum penitentia, secundum DEI voluntatem esse delationem seu remissionem peccatorum, Act. III. 19. Qvòd verò penitentia peccata deleat tanquam Sacramentum N. T. propriè sic dictum, id à nobis negatur. Quæritur (3) An Pastores Lutherani, confessionem peccatorum in sella confessionaria audientes, & penitentes peccatores à peccatis absolventes, absolutionem peccatorum simulent? Resp. negando. Equè enim, ac quondam Apostoli, legatione DEI funguntur apud homines, 2. Cor. V. 20. plenariâ instructi potestate remittendi & retinendi peccata, Joh. XX. 23. Quando itaq; potestate hâc, divinitus sibi concessâ, ritè utuntur, penitentes peccatores ab omnibus suis peccatis absolvendo, hæc illorum actio non est simulata; sed verissima: non inferens nudam denunciationem & significationem; sed veram & realem, licet unicè ministerial em remissionis peccatorum operationem, adeò, ut quicquid ipsi solvunt in terrâ, id ipsum etiam à DEO solvatur in calis, Matth. XIX. 18. Majore ergo & Minore dictâ ratione falsâ, Conclusio etiam Syllogismi hujus à veritate est aliena.

§. 3. A Pœnitentiâ ad Sacramentum Ordinis gradus nobis præ omovendus est. Ordo autem hoc loco idem est, quod Ordinatio. Utrumque enim vocabulum à Bellarmino in libro de Sacramento Ordinis promiscuè usurpatur. Notat ergo ritum illum Ecclesiæ solennem, quo quis per preces & manuum impositionem ad officium sacrum, in Ecclesiâ obeundum, inauguratur. Ritus hicce à nobis non rejicitur, sed in Ecclesiâ nostrâ, tanquam antiquus & decens, recipitur & retinetur; pro Sacramento autem N. T. à nobis non agnoscitur. Hoc malè habet Sateisdorffium: Hinc furore percitus, in Lutherana Pastores Ecclesiæ quadrigis, hoc est, quatuor Syllogismis, invehitur, quorum primo & ultimo eorum vocationem, ante ordinatio-

N; nem

nem maximè necessariam; secundo & tertio verò eorum officium
sacrum, cui in ordinatione mancipantur, impugnat.

§. 4. Vocationem Ministrorum Lutheranae Ecclesiae
primùm hâc argumentatione traducit: Wer nicht eingetret in den
Schaff-Stall durch die Thür/ (das ist durch wahren Beruf/) das ist
ein Dieb und Mörder Joan. 10. 1. Ihr Hr. Pastoren gehet nicht ein
durch die Thür/ das ist durch wahren ordentlichen Beruf/ sondern
steiget anderwärts hinein/ nemlich durch die Hr. Bürgermeister/
wie ihres selbst bekennen/ f. 39. und 45. Diese aber haben keinen Gewalt
die Sünde zu vergeben/ oder zu consecriren/ können ihn also nicht
gehen/ dann nemo dat, quod non habet? und ist bis dato kein Heyd/
vielweniger ein Christ so unverständig gewesen/ der einem weltlichen Her-
ren diese Macht solte zuschreiben/ wie vermöget ihr dann das thun? Auf
die Schrifft beruffet ihr euch zu jederszeit/ so beweiset diesen Punct dann
auch aus derselben/ weilen ihr es aber nicht vermöget: Ergo seyd ihr
Diebe und Mörder/ das ist Seelen-Würger. Resp. (I.) ad Majorem,
quòd illa non firmo stet talo. Supponit enim, quòd in verbis
Christi, ex Joh. X. 1. adductis, per ostium ad ovile intelligatur
vera atque legitima ad officium Ecclesiasticum vocatio. At verò in-
terpretatio hæc aliena est (1.) à scopo Christi, qui in totâ illâ Parabolâ
est elencticus, redarguens perversitatem, non vocationis; sed
doctrinæ Pharisaicæ. Conf. Joh. IX. 28. 29. 41. Aberrat (2.) à contex-
tu. Nam in hoc Capite X. v. 7. & 9. clarè dicitur, quòd per
ostium ad ovile intelligi debeat, non vocatio; sed Christus. (3.)
Si per ostium ad ovile intelligenda esset vera atque legitima vo-
catio, per ovile non Ecclesia, sed officium Ecclesiasticum esset
intelligendum, quod communi Interpretum consensui est contrari-
um. (4.) Sequeretur, illegitimè vocatos indiscriminatim omnes
esse fures atque latrones, seu falsos Doctores; quod verò falsum est,
uti infra §. 8. pluribus dicitur. (5.) Ad stipulatur Corn. à Lapide
Comment. in b. l. p. 359. qui videatur. Tametsi autem interpretatio ista
valeret; tamen negatur Minor. In probatione Minoris (1.)
petitio principii committitur. Utrumque enim in quæstione est:
An Pastores Lutherani non per ostium intrent ovile Christi, sed ali-
unde ascendant? & An per Consules ASCENDANT? Unum au-
tem

tem incertum per aliud æquè incertum probari nequit. Com-
 mittitur (2.) apertum *crimen falsi*. Provocatur enim ad *Respon-*
sionis Lutheranae p. 39. & 45. verùm in neutrâ paginarum asse-
 ritur, quod Pastores Lutherani per Consules ad ovile Christi *de-*
scendant, id est, juxta vulgariorem expositionem, modis ac mediis
 illicitis ad functiones Ecclesiasticas promoveantur. Nam p. 39.
 hoc solum docetur, *falsum esse, quòd Jura Episcopalia nullâ ra-*
tione ad Magistratum politicum pervineant: & quòd Consuli, *di-*
vino verbo consentanea jubenti, omnia anima, adeoque etiam Clerici,
quos vocant, obedientiam prestare teneantur. Pag. 45. aut potius 46.
ius vocandi Ministros Ecclesie toti Ecclesie; juris verò hujus
exercitium Magistratui civili competere dicitur, NB. si illud illi res-
liquorum Ecclesie ordinum consensu fuerit concessum. Com-
 mittitur ergo (3.) *Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpli-*
ter, dum ea, quæ in *Responsione Lutherana* dicta sunt hypo-
 theticè & secundum quid, categoricè & absolutè dicta esse fini-
 untur; & (4.) *Evadepurvisia*, dum legitimè à Magistratu vocari
 (de eo enim in *Responsione Lutherana* p. 46. sermo est) idem esse
 venditur, quod aliunde ascendere; quæ duo tamen toto cæ-
 lo sunt diversa. *Aliunde enim ascendit, qui per casus obliquos*
ad dignitates Ecclesiasticas pervenit; qui autem legitimè à Ma-
gistratu vocatur, per casus rectos ad ejusmodi officia promo-
vetur, adeoque per verum ostium ovile Christi ingreditur.

§. 5. Verùm objicit Sattelsdorffius (I) *Pastorum Luthe-*
ranorum vocatio, facta à Magistratu civili, valida & legitima esse
nequit, quia Magistratus non habet potestatem remittendi peccata
& consecrandi; Ergo eam Pastoribus Lutheranis dare non potest:
Nam quod quis non habet, alteri dare nequit. Sed resp. (1.) Ma-
 gistratus civilis non habet potestatem remittendi peccata & con-
 secrandi, seu Sacramenta ministrandi, ita, ut Magistratus ipse
 potestatem illam in Ecclesiâ exercere possit; Hoc enim ad solum
 Statum Ecclesiasticum pertinet: Habere tamen potest, & actu ipso ali-
 cubi habet facultatem, potestatem istam per vocationem alius con-
 ferendi, Quæ verò Magistratus potestas non est *außer dem*
 Hac



Hæc enim solideo est propria; sed *Agaricus*, competens Magistratui, ut nutricio Ecclesiæ & custodi utriusque Legis divinæ tabulæ: Quam exercet, non ex auctoritate propria; sed nomine totius Ecclesiæ: Non exclusivè reliquis Statibus Hierarchicis; sed cum eorum consensu, si non expresso, tamen tacito & interpretativo. (2) Axioma prolatum valet de causis principalibus. Quod si ad *minis principales causas* etiam trahatur, multis instantiis illud infringi potest. Sic e.g. eos non habet aciem, & tamen illam ferrodare potest; vinum non habet hilaritatem, & tamen eam homini conciliare potest, Pl. CIV. 15. &c. Malè ergo illud ad prærens negotium applicatur, quia Magistratus civilis nequæquam ut Causa principalis; sed ut causa ministerialis vocationis Ministrorum Ecclesiæ venit considerandus. Regerit Sattelsdorffius (II) *Nullus unquam Ethnicorum Magistratus politico tribuit potestatem vocandi Ministros Ecclesiæ: Ergo neque nos illud faciamus.* Egregia scilicet! consequentia, quæ si valeret, de universâ Fide Christianâ jam dudum actum fuisset. Nullus unquam Ethnicorum (de Ethnicis verò in statu, non in ampliacione spectatis sermonem hoc loco esse, præsuppono) Christo crucifixo tribuit omnem potestatem in celo & in terrâ, potestatem remittendi peccata, potestatem judicandi vivos & mortuos, &c. quæ verò in sacris literis ipsi adscribitur: Ergo ne & nos ejusmodi potestatem Salvatori nostro abjudicare debemus? Nullus unquam Ethnicorum Clericis in Papatu potestatem Ministrorum Ecclesiæ vocandi tribuit: Ergo neque illa à Pontificiis iisdem debet vindicari: Ergo assertum Bellarmini, quod habetur Lib. I. de Clericis c. IV. collabitur: *Vocatio seu missio Ministrorum non ad populum pertinet, sed ad Episcopos & potissimum ad summum Pontificem.* Instat Sattelsdorffius (III) *Nemo etiam Christianorum talem unquam potestatem Magistratui assignavit: Ergo neque nobis illud faciendum.* Resp. Sub nomine potestatis aut intelligitur potestas peccata remittendi & consecrandi; aut potestas Ecclesiæ Ministrorum vocandi. De utraqve enim in Argumento hoc Sattelsdorffius fuerat locutus. Si prior intelligitur, Sattelsdorffius pugnat contra aliquem, qui vocatur: Nemo. Nemo enim Luther-

theranorum affirmat, Magistratui politico potestatem illam com-
 petere: Si autem *posterior* intelligitur, falsum est Antecedens.
 Contradicit enim assertio ista multis Conciliorum & Pontificum
 decretis, non paucis Patrum dictis, nec paucioribus primitivæ
 Ecclesiæ exemplis, longo ordine recensitis à Gerardo T. VI. La-
 cor. Theol. L. de Ministerio Ecclesiastico, S. 94. 95. 96. 97. ex quibus
 unum vel alterum in medium proferre juvabit. In Concilio
 Tolitano XII. Can. VI. constitutum fuit, Quosunque REGALIS
 POTESTAS elegerit, in quibuslibet provinciis & in præcedentium
 sedibus præficiendos esse Præsules. Leo IX. Papa R. concessit atque lar-
 gitus est Ottoni I. Imperatori ejusque successoribus in perpetuum, fa-
 cultatem eligendi successorem atque summæ sedis Apostolicæ Pontifi-
 cem ordinandi. Cyprianus docuit, quòd plebs (quidni ergo Magi-
 stratus, tanquam Caput plebis?) ipsa maxime potestatem habeat
 vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. De Petro,
 Athanasii in Episcopatu Alexandrino successore, scribunt The-
 odoretus & Nicephorus, quòd in functionem Athanasii succes-
 serit, non solum ipsius Athanasii, Episcoporum, totiusque
 Cleri suffragio: non solum cunctæ plebis acclamationibus; ve-
 rum etiam votis & calculi eorum, qui Alexandria primos hono-
 res & MAGISTRATUS gerebant, Quid clarius dici potuisset?
 His adjiciam ex Decreto Gratiani verba Canonis XXIX. *Caus. XVI.*
Quæst. VII. ex quibus idem clarè liquet: Decernimus, ut quamdiu
 fundatores Ecclesiarum (Ecclesias autem etiam personæ, Magistra-
 tum civilem gerentes, fundarunt) in hæc virâ superstitēs fuerint,
 pro eisdem locis curam habeant sollicitam, atque rectores idoneos in
 eisdem Basilicis iidem ipsi Episcopo offerant ordinandos, Quod si spe-
 rit eisdem fundatoribus rectores ibidem præsumserit ordinare Epi-
 scopus, & ordinationem suam irritam noverint, & ad perecundiam
 suis, alios in eorum loco (quos ipsi fundatores condignos lagerint)
 ordinari. Glossa addit: Et sic videtur quòd auctoritate hujus
 Capituli Laicus possit instituire in Spiritualibus & tempora-
 libus. Urget Sattelsdorffius (IV.) Potestas illa Magi-
 stratus ex sacris literis probari nequit: Ergo malè defenditur.

Resp.

Resp. Quidni probari posset? Probat eam exemplum Moſis, qui inter Israelitas fuit dignitate regiâ, quamvis caruerit nomine, Deut. XXXIII. 5, & hoc non obſtante, à DEO ipſo juſſus fuit, ut Aaronem cum ejus filijs conſtitueret ſacerdotes, Exod. XXIX. & XXIX. Levit. IX. & poſt mortem Aaronis filium ejus Eleazarum ſummum Pontificem crearet, Num. XX. 25. ſeqq. Aur ergo factum, hoc Moſis fuit legitimum, aut illegitimum. Si fuit illegitimum ſequitur, DEUM aliquid illegitimi juſſiſſe, quod dictu iimpium: Si fuit legitimum, ſequitur, recte facere Magiſtratum politicum, quando Miniſtrum Eccleſiæ vocat, vocatumque conſtituit. Idem confirmat exemplum Davidis, 1. Chron. XVI. Salomonis, 1. Reg. II. 35. Joſaphati, 2. Chron. XIX. 8. ſeqq.

§. 6. Nunc alterum Sattelsdorffii argumentum proferendum proſligandumque eſſet, quo Lutheranorum Paſtorum vocationem ſuſpectam reddere aliis laboravit: Quoniam verò duo alia, eorum officium ſacrum oppugnancia, eidem anteponere ipſi placuit, nobis quoque, quibus *κατά νόμον* eundem ſequi vilum fuit, eâdem viâ eſt incedendum. Audiamus ergo prius, ſacro Lutheranorum officio oppoſitum, Argumentum, quod ita ſe habet: Wer da verneinet, daß die Ordnung der Priester ein Sacrament ſeye / und abſolviret oder confeſſiret; der iſt ein Pfaff / und kein Paſſ. Dann durch die rechtmäßige Ordnung und Auflegung der Biſchöfflichen Hände wird mitgetheilet der Gewalt zu abſolviren und confeſſiren. Nun aber ihr verneinet ſie ein Sacrament zu ſeyn. Ergo. Antequam ad alterutram præmiſſarum respondeam, præſuppono, vocem Germanicam: Pfaff / in genuino ſuo ac legitimo uſu accipiendam eſſe, quatenus nimirum notat verum ac orthodoxum Eccleſiæ Chriſti Paſtorem, purè docentem divinum verbum & Sacramenta rectè adminiſtrantem, de quo ſignificatu conf. *Kirchmayeri Diſſ. de Oratore civili & Eccleſiaſtico, c. II. §. 1. p. 26.* Si enim in ſignificatione abuſivâ accipitur, quatenus denotat Sacrificulum Papæum, ſacrificium Miſtaicum conſcientem, Concluſio Sattelsdorffiana, quoad hæc verba: Ergo iſt kein iuberlicher Priester ſin Pfaff; Lutheranos non ferit, quippe qui libentia lubentius

ius

rius largiuntur, Doctores Ecclesie suae non esse sacrificulos. Quod si autem in legitimo suo usu accipitur, negatur propositio Major Syllogismi Sattelsdorffiani; sed argumentum potius invertitur, hac ratione: *Qui negat, ordinationem Ministrorum Ecclesie esse Sacramentum, & tamen absolvit penitentes & consecrat, seu Sacramenta administrat, ille est verus atque genuinus Ecclesie Pastor.* Atqui Pastores Lutherani &c. Ergo. Major probatur, quia a vero atque genuino Ecclesie Pastore requiritur, non solum, ut poenitentibus absolvat & Sacramenta secundum mandatum DEI administret; verum etiam, ut verbum DEI pure doceat, & in doctrina sua omne illud neget atque reprobet, quod sacrarum literarum auctoritate destituitur. Jam vero doctrina Papae, quod Ordo sit Sacramentum, ita comparata est. Nullibi enim in scriptura S. apparent requisita illa, quae ad constitutionem veri Sacramenti sunt necessaria. Ubi legitur verbum institutionis? Ubi nam verbum promissionis de gratia DEI justificata & salvificata reperitur? Ubi materia terrena cum re caelesti unienda est determinata? Ergo qui doctrinam hanc negat & rejicit, veri Ecclesie Pastoris munere fungitur. Probare eadem studet Sattelsdorffius Majorem suam hac ratione: *Dann durch die rechtmäßige Ordnung und Auflegung der Bischöflichen Hände wird mitgetheilt die Gewalt zu absolviren und consecriren.* Sed resp. (1.) Potestas haec non solum per Episcoporum, sed aliorum quoque Ecclesie Ministrorum ordinationem & manuum impositionem confertur, 1. Tim. IV. 14. (2) Confertur quidem per ordinationem & manuum impositionem; sed non tanquam per Sacramentum.

S. 7. Pergit Sattelsdorffius hoc Argumento: *Wer Gott kein Opfer nicht opfert / der ist kein wahrer Priester. Dann ein jeder Bischoff und Priester ist von GOTT gesetzt / damit er Gaben und Opfer opfere für die Sünde / Hebr. 5. 1. Nun aber ihr opfert kein Opfer. Ergo sey ihr keine wahre Priester. Saget nicht / wir opfern das Gebet / das ist auch eine Wagn und Zud / (Typographus forte ponere debuit: und Zung) und dennoch seynd sie nicht Priester: Zudem redet allhie der Apostel von*

sonderbarem Schlacht-Opfer: und nicht des Gehalts. Ergo Resp
 (I) ad propositionem Majorem, limitando: (1) Quicumque nulla
Leuitica Sacrificia DEO offert, ille non est sacerdos *Leuiticus*.
 Sic limitatâ Majore totum Argumentum conceditur. (2) Qui-
 cumque neque *Leuitica*, neque *Christiana* & *Spiritualia Sacrificia*
 DEO offert, ille non est verus sacerdos. Ita verò negatur Minor.
 Veritati omninò est consentaneum, quòd Pastores Lutherani DEO
 haud offerant ejusmodi sacrificia, quæ olim in V. T. sacerdotibus
 & Levitis à DEO in Lege ceremoniali fuere demandata. Ea enim,
 quemadmodum typi fuerunt atque umbræ, Christum venturum
 cum beneficiis suis præfigurantes, Coloss. II. 17. Ita, Christo jam
 exhibito, celsârunt, Dan. IX. 27. Interim DEO offerunt *sacrificia*
Christiana & *Spiritualia*, eaque non tantum communia, quæ à
 Christianis quibuscunq; etiam *ab ancilla* (uti Sattelsdorffio hoc loco
 loqui placuit) & puero offerri DEO possunt & debent, qualia v.g.
 sunt: *cor contritum*, Pl. L. 19. *Fides*, Phil. II. 17. *preces*, Hebr. V. 7. *gra-*
tiarum actio, Pl. L. 14. & 23. *vite renovatio*, Rom. XII. 1. *liberalitas*
erga pauperes, Hebr. XIII. 16. &c. verum etiam talia sacrificia,
 quæ Ministerio Ecclesiastico sunt *propria*, quale v.g. est *divini*
verbi predicatio, Rom. XV. 16. & per consequens etiam
 legitima Sacramentorum administratio, & utriusque cla-
 vis, solventis & ligantis, usurpatio. Hæc verò sacrificia,
 non sunt sacrificia propriè; sed improprie sic dicta.
 Resp. (II.) ad probationem Majoris, quòd dictum ex Hebr.
 V. allatum variè contorqueatur. Non enim Apostolus loquitur
 (1) de Episcopis, neque (2) de Sacerdotibus generatim specta-
 tis, neque (3.) unice de victimis: sed verba textus hæc sunt
 πῶς γὰρ ἀρχιερεὺς ἐξ ἀνθρώπων λαμβανόμενος, ὑπὲρ ἀν-
 θρώπων καθίσταται τὰ περὶ τοῦ θέν, ἵνα προσφέρῃ δῶρα
 τε καὶ θυσίας ὑπὲρ ἀμαρτιῶν quæ Vulgatus ita transtulit:
 Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus
 consuevit in iis, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona & sacri-
 ficia pro peccatis. Unde sole clariùs elucet, unice describi in lo-
 co hoc officium summi sacerdotis V. T. id quod constituisse dicitur in
 ob.



oblatione, partim *donorum* quæ, Theophylacto interprete apud *Corn. à Lapide Comment. in b. l. p. 875. b.* erant oblationes primitiarum aliarumque rerum, ut panis, vini, frumenti; partim sacrificiorum, quæ erant *victima quæ DEO mactabantur*; isque ut typus Christi proponitur, v. s. seqq. A summo autem Sacerdote, V. T. ad Sacerdotes quoscunque, præsertim N. T., non procedit argumentatio.

S. 8. Ab officio sacro Pastorum Lutheranorum ad illorum vocationem recurrendum nobis est, quam Sattelsdorffius ulterius ita perstringit: *Wer seinen Beruf nicht besser mag erweisen/ dann andere Kezerische Prædicanten/ das ist ein reißender Wolff/ Nun möget ihr es nicht besser beweisen. Dann was ihr immer fürwenden/ das thun auch andere Kezer. Saget ihr sub schimo der Bürgermeister/ so sagen sie es auch; saget ihr sub primo der Herrschaft/ so schützen sie sich imgleichen, &c. Ergo. In hoc Argumento falsa est (1) Major. Non enim vocatio; sed doctrina facit & arguit lupos rapaces, seu Hæreticos. Christus, ut nobis à Pseudo-Prophetis seculò caveamus, admonens, non illorum vocationem; sed *fructus*, id est, non diffidente *Corn. de Lapide Comment. in Mattheum p. 180. b.* doctrinam spectare iussit, Matth. VII. 16. 20. id quod adhuc clarius & expressius inculcavit Johannes II. *Epist. v. 10.* Fieri certè potest, ut Hæreticus legitimâ vocatione instructus sit, & contra Orthodoxus minùs rectè sit vocatus. Arius, Paulus Samosatensis, Photinus & alii citra omnem dubitationem fuerunt Hæretici; neque tamen aliquid in illorum vocatione desideratum legimus. Contra multi inter ipsos Romanos Pontifices extiterunt, qui, uti de Bonifacio IX. dictum quondam fuit, *intrarunt ut vulpes*. Ergo ne inde efficitur, Pontifices illi fuisse Hæreticos & lupos rapaces? Qui ergo salva manebit Papæ Romani infallibilitas, ejusque ab omni errore, tam in decretis fidei, quam in præceptis morum immunitas? Quis Bellarmino imposteri fidem habebit, *Lib. IV. de Romano Pontifice c. Pl.* asserenti: *Probabile est, pièque credi potest, summum Pontificem, non solum ut Pontificem errare non posse, sed etiam ut particularem personam Hæreticum esse non posse; Annon potius**

potius assertioni Alphonſi à Caſtro in *Lib. I. adveſus Hæreſes. ſ. VI.*
 ſubſcribendum erit, quòd *etiam Papa errare & Hæreticus fieri poſſit?*
 Minor etiam propoſitio infirmo ſtat talo, ejuſque probatio aper-
 tæ contradicit veritati. Nam Anabaptiſtæ nullos inter ſe habent
 Conſules alioſve Magiſtratus : Quomodo ergo vocationem,
 à Conſule factam, prætereſſe poſſunt? Quackeri, Weigeliani
 ſimiliſque futuriſ Fanatici immediatam jaçant vocationem :
 Quomodo ergo ad Magiſtratum provocare poſſunt, cujuſ voca-
 tio mediata eſt? Sociniani & Arminiani mediatam vocatio-
 nem, qualis eſt, quæ à Magiſtratu provenit, minus neceſſa-
 riam eſſe putant : *Conf. B. ſtrauchii Deſin. Theol. Quatern. XL.*
Deſin. II. Quo modo ergo eadem niri poſſunt? Eſto tamen, non-
 nullos reperiri Hæreticos, qui, vocationem ſuam eſſe legiti-
 mam probaturi, cauſæ ſuæ patrocinium in eo quærant, quòd
 à Conſule aut aliâ perſonâ politicâ, clavo Reipublicæ aſſi-
 dente, ſint vocati : Quid, quæſo, Paſtoribus Lutheranis cum
 illis eſt commercii? quorum qui à Magiſtratu ad ſacrum munus
 ſuum ſunt vocati, non ex eo bonitatem vocationis ſuæ demon-
 ſtrant, quia à Magiſtratu facta eſt; ſed quia ab Eccleſiâ, cui à
 DEO datum juſ vocandi eſt, illam acceperunt, cujuſ interpres
 Magiſtratus fuit.

S. 9. Denique ad ultimum Sattelsdorffii Argumen-
 tum devenio, quo Matrimonium Sacramentum eſſe, probare
 laborat. Eſt autem ſequentis tenoris. Von der Ehe meldet N.
 Paulus: *Es iſt ein groſſes Geheimniß/ ich ſage in Chri-
 ſto und der Kirchen/ Ephes. 5. 32. das iſt in Bedeutung der
 Liebe Chriſti gegen uns / und Vermählung mit unſerer Seele.
 Ergo wird er von den Catholiſchen billig ein Sacrament genen-
 net. Dann nicht zu zweiffeln / die alſo in den Eheſtand einretten /
 daß ſie nicht Gnade von Gott erhalten ſollen / dieſen Stand heilig
 zuführen / und möchte auch kein heiliger Stand genennet werden /
 wann er dieſe heilige Bedeutung nicht an ſich führet.* Hadenus
 Argu;



Argumentum 1. Sequuntur varia aduersus Responſionem Lutheranam exceptiones: Darwieder redet ihr viel vergebens: (1.) Es sey hißbey kein eufferliches Element. Resp. Auch im Abendmaß ist kein; dann Brod und Wein ist kein Element; und doch ist es ein Sacrament. (2.) Es würde auch im alten Testament seyn gewesen und bey Heiden. Resp. das erfolge nicht; dann sie gebrauchen es nicht; wie es Christus eingesezt und St. Paulus lehret; zu und mit der Bedeutung. (3.) Es ist lauden Catholischen ein fleischlicher Stand. Ergo. Resp. in Ansehung der Vermischung concedo, der Bedeutung nego. Und so ihr den Eßstand annehmet allein wegen der Wollust; so nenne ihn der Engel Raphael nicht allein fleischlich; sonderñ Vießlich Tob. 6. 17. Ihr sagt (4.) es wird das Wort Mysterium auch gefunden Eph. 3. 9. Ap. 17. 7. Wein wie liebe-lich handelt ihr alßte mit dem Wort *Quies*; da ihr antiehet dis-junctivè was copulativè gesagt ist. Freylich das Wort Mysterium allein bedeutet kein Sacrament; aber wol Mysterium in Christo. Beweiset dieses beyſammen; so habet ihr es gewönlich; im wiederigen euren Anlauff verſpielt.

§. 10. Resp. (I) ad Argumentum ipsum, negando
 (1.) Antecedens. Non enim de conjugio humano, quod est inter marem & foeminam: sed de conjugio mystico, quod Christo cum Ecclesiâ intercedit, Apostolus affirmat, quod *magnum sit mysterium*. Id quod ex ipsis textus verbis elucet, in quibus Apostolus optimus verborum suorum est interpres, scribens: *Mysterium hoc magnum est: Quodnam verò Mysterium Ego autem dico (seu: Loquor autem) de Christo & Ecclesiâ.* Non obstat Græca Præpositio *eis*. Hæc enim non semper significat *ad* vel *in*; sed quandoque etiam, in describendo nimirum sermonis objecto, idem valet, quod de *Conf. A. II. 25.* Accedit testimonium *Cornelii à Lapide Comment. in b. l. p. 338. b. Potest clarè cum Syro verti: Sacramentum (mysterium) hoc magnum est; ego autem dico DE Christo & Ecclesiâ.* Posito verò, de matrimonio humano Paulo in citatis verbis sermonem esse; negatur tamen
 (2) consequentia: *Matrimonium vocatur mysterium; Ergo matrimonium*

monium est Sacramentum. Rectè enim in *Responsione Lutherana* p. 16. fuit responsum, si consequentia illa esset valida, sequi, quòd etiam vocatio Ethnicorum, Eph. III. 9. resurrectio mortuorum, 1. Cor. XV. 51. imò bestia septiceps, Apoc. XVII. 7. sint Sacramenta. Nec est, quòd Sattelsdorffius regerat: *Mein wie lieblich handelt ihr allhie mit dem Wort Gottes/ da ihr anjehet disjunctivè, was copulativè gesagt ist.* Freylich das Wort *Mysterium* allein bedeutet kein Sacrament/ aber wohl *Mysterium in Christo*. Nam (α) negatur, *Responsionem Lutheranam* in præsentis *Dicto Paulino* copulanda disjunctivè; sed quæ illa disjunctivè posuit, ea Paulus quoque non copulativè, sed disjunctivè intellecta voluit: siquidem verba: *Mysterium hoc magnum est:* ab hinc: *in Christo*, per expressam particulam adverbivam *de, autem*, sunt sejuncta. (β) Si verba hæc: *in Christo*, ad præcedens vocabulum: *Mysterium*, sunt referenda, etiam subsequenti: *In Christo & Ecclesiâ*, cum eadem voce erunt conjungenda. Ratio est, quia verba illa conjunctione copulativâ expressè copulantur. Quæ dum Sattelsdorffius ipse à se invicem divellit, ipse fallaciam compositionis & divisionis, cujus Pastorem Lutheranum reum facere studet, committit. (γ) Quòd Sattelsdorffius h. l. negat, *vocabulum Mysterii, solitarie positum, denotare Sacramentum*; id Bellarminus affirmat. Sic enim scribit *Lib. I. de Sacramentis* in genere, c. VII. *Idem omnino Latinis est Sacramentum, quòd Græcis Mysterium:* & *Lib. I. de Matrimonii Sacramento*, c. II. *Idem est Græcè Mysterium, & Sacramentum Latine.* Quia ergò huic catholicæ i. e. Pontificiæ veritatis assertori & vindicti Sattelsdorffius contradicit, cum illo transigat. (δ) *Mysterium in Christo idem esse, quòd Sacramentum*, novum est assertum, cujus Sattelsdorffio, tanquam affirmanti, incumbit probatio. (ε) Ex asserto hoc Sattelsdorffiano sequens emergit Propositio: *Quicquid est Mysterium in Christo* (id est, quemadmodum in antecedentibus mentem suam clariùs exposuit, *in significatione amoris Christi erga nos, ejusque cum animâ nostrâ desponsationis, in Bedeutung der Liebe Christi gegen uns/ und Vermählung mit unsern Seelen*) illud

illud est Sacramentum. Sub lumō: *Atqui conjunctio vitis & palmitum, itemque capituli & membrorum, est mysterium in Christo: Utrāque enim significatur intima Christi cum animā nostrā, ex immenso amore profluens, spiritualis conjunctio, Joh. XV. 2. seqq. & Eph. I. 22. 23. Ergo conjunctio vitis & palmitum, itemque conjunctio capituli & membrorum, sunt Sacramenta, ac per consequens non septem, sed plura dantur Sacramenta.* (3.) Probatio consequentiæ est lubrica atque incerta. Quando enim (a) dicitur: *Dann nicht zuweiflen/ die also in den Ehestand eintreten/ daß sie nicht Gnade von GOTT erhalten solten/ diesen Stand heilig zu führen; non probatur consequentia.* Nam ad Sacramentum con-
stituentium requiritur promissio gratiæ, non cujuscunqve; sed, Bellarmino ipso *Lib. I. de Matrim. Sacram. c. II. contente, gratia justificantis.* Hujusmodi autem gratia non est, quæ à DEO datur ad matrimonium sanctè observandum. Dicitur (B) *Und möchte auch kein heiliger Stand genennet werden/ wann er diese heilige Bedeutung nicht an sich führete. Sed resp. Non de eo quæritur An matrimonium sit sanctus status? Nam hoc & nos non inficiamur: Verùm quæstio est: An matrimonium, quia significat amorem Christi erga nos & signum est ejus cum animā nostrā spirituales unionis, propterea sit Sacramentum? Et hoc est, quod negatur.* Sacramenta enim non sunt nuda signa gratiæ; sed gratiam, in verbo promissionis propositā, offerunt, conferunt & obfignant. Præterea non sola hæc significatio causa est, cur matrimonium sanctum dici queat; verum aliæ quoque præstō sunt, quia nempe à DEO est institutum, & sanctè debet inchoari, continuari & finiri.

§. II. Resp. (II.) ad Exceptiones Sattelsdorffianas, quarum (i) prima rationem primam terit, quæ Responsio Lutherana p. 15. probavit, matrimonium non esse Sacramentum. Potest verò hæc sequenti includi Syllogismo: *Quicquid desinitur externo, à Christo ipso instituto, elemento, illud non est Sacramentum. Atqui matrimonium Sc. Ergo.* Respondet Sattelsdorffius ad Majorem per instantiam: *Sacra Cæna desinitur elemento externo, quod probatur, quia panis & vinum non sunt elementa;*
p. 16. in finit. & in p. 17. Ergo

Ergo S. Cœna non est Sacramentum. Verùm instantia hæc est manifestè falla. Arrige aures, Sattelsdorffi, & audi Ambrosium apud Bellarminum *Lib. II. de Sacramento Eucharistia, c. XIV.* in faciem tibi repugnantem. Sic enim de Sacra Cœnâ scribit: *Quodsi tantum valuis sermo Helia, ut ignem de celo deponeret; non valeret Christi sermo, ut species mutet ELEMENTORUM?* Ecce! magnus hic Ecclesiæ primitivæ Doctor apertis verbis testatur, Sacramentum Cœnæ non destitui Elementis. Audias Augustinum, & cum eo Gratianum in Decreto, de Consecrat. *Distincti. II. Can. XLIX.* ita te confutantem: *Hoc est, quod dicimus, quod modis omnibus a probare contendimus, sacrificium Ecclesiæ (Sacramentum Cœnæ,) duobus modis confici, duobus constare, visibili ELEMENTORUM specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine.* Et quid notius est trito illo Augustini: *Accedat verbum ad ELEMENTUM, & sit Sacramentum?* Hic Augustinus clarè docet, quòd in omni Sacramento requiratur Elementum aliqvod, ad quòd verbum accedat. Jam S. Cœna est Sacramentum: Ergo etiam in S. Cœnâ Elementum aliqvod adsit oportet, quòd nullum aliud, quàm panis & vinum esse potest. Distinguedum autem est inter vocabulum Elementi, sumptum in sensu Physico, & sumptum in sensu Theologico. In sensu priori, Elementa, desiniente Thomâ Sagittario in *Exercitationibus Physicis, Exercitat. VII. Tb. II. sunt corpora simplia, ex quibus corpora mixta componuntur, & in quæ primò resolvuntur.* Sensu autem posteriori vox Elementi notat rem terrenam, externam atque visibilem, à DEO institutam, ut esset quasi vehiculum, quo mediante in actione sacramentali illi, qui Sacramento utuntur, rei cœlestis, cum re illâ terrenâ sacramentaliter unitæ, redduntur participes. Hoc loco non priori; sed posteriori sensu accipitur. Docet hoc Bellarminus ipse, *Lib. I. de Sacramento, c. XI.* asserens, *per Elementum (cum de Sacramento agitur) non debere accipi elementum, quomodo accipitur, cum dicimus, quatuor esse mundi elementa; sed rem quamlibet, ut à verbo distinguitur, juxta illud Augustini: Accedit verbum ad elementum, & sit Sacramentum.* Quamvis ergò panis & vinum in Sacramento Cœnæ non sint elementa

in sensu Physico; sunt tamen elementa in sensu Theologico præcipuè Patristico. (2) Altera Sattelsdorffii exceptio tertiam & quartam Responsionis Lutheranae rationes impugnat, quarum priorita concludit: Si matrimonium est Sacramentum N.T. sequitur, aliquod Sacramentum N.T. jam fuisse in V.T. quia matrimonium jam fuit in V.T. Consequens est absurdum; Ergo etiam antecedens. Posterior verò sic infert: Si matrimonium est Sacramentum, sequitur, quoddam Sacramentum inter ipsos Ethnicos & alios infideles existere, quia matrimonium inter ipsos datur. Sed consequens est falsum: Non enim nisi in Ecclesiâ Sacramenta sua dispensat DEUS: Ergo etiam antecedens falsum est. Respondet quidem Sattelsdorffius, negando consequentiam: Das er folge nicht; dann sie gebrauchen es nicht; wie es Christus eingesetzt und H. Paulus lehret / zu und mit der Bedeutung: Verum (α) nihil respondet ad prius Argumentum. (β) Principium petit, dicens, matrimonium, ut Sacramentum esset, à Christo esse institutum, idemque à Paulo doceri. (γ) Significare & adumbrare mysticum Christi & Ecclesiæ conjugium, & esse Sacramentum, toto cælo distant, quod præcedenti §. 10. demonstratum. Illud, non hoc Paulus docuit. (δ) Etiam Ethnicorum aliorumque infidelium conjugium, si sit legitimum, hoc est, si juxta leges divinæ institutionis sit unius maris ac unius foeminae legitima & indissolubilis conjunctio, est signum spiritualis conjunctionis inter Christum & Ecclesiam Conf. Gerbardt. VII. Locor. Theol. in quo agitur de Conjugio §. 34. (3) In Exceptione tertîa Sattelsdorffius infringere conatur quintum Responsionis Lutheranae argumentum: Quicquid, juxta tenorem doctrinae Pontificia, est carnalis DEOq; displicens status, illud non est Sacramentum. Matrimonium &c. Ergo, Limitat Sattelsdorffius Majorem: Quicquid ratione significationis est carnalis status, illud non est Sacramentum. Sic limitatâ Majore, Minorem negat. Concedit quidem, matrimonium esse statum carnalem, ratione concubitus; negat autem hoc de matrimonio, ratione significationis considerato. Respondeo autem negando, quòd conjugium ratione concubitus sit status carnalis, id est, peccaminosus, &c, ut in Responsione Lutherana additur, à

114

Sattelsdorffio verò subdole omititur, DEO displicens. Argumentor enim: Quicquid (1) à DEO ipso est institutum, (2) in statu integritatis habuisset locum, (3) est signum intimæ inter Christum & Ecclesiam conjunctionis, & [4] in ipso Jure Canonico habetur pro castitate; illud non est carnale. Atqui concubitus conjugalis (loquor autem de concubitu legitimo, non libidinoso & beluino, quem & nos cum Angelo improbamus, Tob, VI, 17. & cum Paulo operibus carnis annumeramus, Gal. V. 19.) talis est: Ergo Majororem Sattelsdorffius non poterit negare. Minorem probo, quoad (1) ex Gen. I. 28. ubi DEUS propagationem humani generis, quæ aliter fieri non potest, nisi per concubitum, instituit: quoad (2) ex Gen. II. 24. ubi Adamus, in statu integritatis adhuc constitutus, futuriqve lapsus sui ignarissimus, de posteris suis affirmat, quod vir adhasurus sit uxori suæ, amboque futuri sine in unâ carne: quoad (3) ex Eph. V. 31. & 32. ubi Apostolus mysticam conjugii significationem exponens, signum, ait, esse adhesionem viri ad uxorem: *Viriusq, in unâ carne existentiam*, v. 21. signaculum verò spiritualem Christi cum Ecclesiâ conjunctionem, v. 32. quoad (4.) ex Decreto *Grariani, Disputat. XXXI. Can. X.* ubi assertum Paphnutii, in Nicenâ Synodo dicentis, *castitatem esse cum propria conjugè concubitum*, recitatur, & quia non refellitur, etiam probatur.

CAPUT V.

DE

SACRAMENTO COENÆ DOMINICÆ.

S. **V**aria quidem sunt, quæ in Capite hoc ultimo impugnanda sibi sumpsit Sattelsdorffius: Quædam tamen, quæ protulit, argumenta ita sunt comparata, ut non cum Lutheranis, sed cum lemuribus certare videantur. Tale in limine statim Capitis hujus offendimus, quod verbis sequentibus rectè conceptum: *Wer kein wahrer Priester nicht ist/der vermag den Leib Christi nicht consecriren / oder offeren nach der Ordnung Melchisedech; uti probatum supra Hebr., s. 1. Nun aber bey uns Lutheranern giebt es keine wahre Priester/wie erwiesen/und ist bis dato unverschämte, daß man unsere Pastores also instituet!* Ergo. *Equis enim*

enim pervaderi sibi patietur, Conclusionem Argumenti hujus
ferire Lutheranos? Ubinam, aut quando docuit Lutheranos
aliquis, in S. Cœnâ corpus Christi à propriè sic dicto sacerdote
posse immolari, & quidem secundum ordinem Melchisedechi Pon-
tificiis, non Lutheranis opponi debet hæc Conclusio. Illi
enim S. Cœnam, quam Missam vocant, statuunt esse sacrifici-
um propitiatorium propriè sic dictum, in quâ à Sacerdote pro-
priè sic dicto corpus Christi DEO Patri offeratur, & Sacrifi-
cium hoc Missa esse censent verè secundum ordinem Melchisedechi.
Conf. Bellarm. Lib. I. de Missa, c. VI. Huic verò doctrina do-
ctrina Lutheranos è diametro repugnat. Negant enim
(1.) dari in N. T. sacerdotes propriè sic dictos. Ubi enim nulla
amplius locum habent sacrificia propriè sic dicta, ibi etiam non
amplius dantur sacerdotes propriè sic dicti. Ratio est manife-
sta, quia Sacrificium & sacerdos sunt relata, quorum unum
alterum ponit & tollit. In Novo autem Testamento nulla
amplius locum habent sacrificia propriè sic dicta, utpote quæ
exhibito Christo, quem præfigurant, cessarunt, Dan. IX. 27.
Coloss. II. 16. 17. Nullos ergo in N. T. dari sacerdotes pro-
priè sic dictos, manifestum est. Interim non inficiamur exi-
stentiam sacerdotum impropriè sic dictorum, prout superius
Cap. IV. S. 6. pluribus dictum. Nec inauditum est, Pastores
Lutheranos Sacerdotes, aut Germanicè *Wrisster* vocari. Quod
si incredibile videatur Sattelsdorffio, ephippium egvo imponat,
eodemque vel ad nos Rostochium vectetur, & rem inaudi-
tam audiet; aut, si labore isthoc superfedere velit, *Apolo-
giam A. C. p. 204. & 262.* conferat, & Sacerdotum nomen Ecclesiæ
nostræ Pastoribus imponi videbit. Negant Lutherani (2.) S.
Cœnam esse sacrificium propriè sic dictum. Quicquid enim est Sa-
cramentum, non est sacrificium propriè sic dictum. Atqui S.
Cœna &c. Ergo. Ratio Majoris hæc est, quia Sacramentum
& sacrificium sunt distinctissima. In Sacramento enim à DEO
aliquid offertur hominibus; in Sacrificio autem DEO aliquid
offertur ab hominibus. Negant (3.) quod Missa sit Sacrificium

propitiatorium. Ubi enim nulla sanguinis effusio, ibi nulla remissio, nulla propitiatio, Hebr. IX. 22. Atqui in Missâ nulla est sanguinis effusio: Est enim juxta doctrinam Pontificiorum, sacrificiû incruentum: Ergo. Negant (4) *corpus Christi in Missâ DEO Parvi offerri.* Cujus enim corpus semel duntaxat in arâ crucis immolatum est, illius corpus in Missâ offerri nequit. Atqui Christi corpus &c. Ergo. Major probatur, quia Missâ quotidiè celebratur, adeoq; corpus Christi etiam quotidiè offertur. Semel autè offerri, & quotidiè offerri, simul nequeunt consistere. Minor probatur ex Hebr. IX. 12. 26, 28. Negant (5) *in Missâ corpus Christi à sacerdote secundum ordinem Melchisedeci offerri.* Nam (a) Melchisedecus illud nunquam fecit. Prolatio panis & vini, Geni XIV. 18. descripta, non facta est DEO; sed Abrahamo, adeoque non fuit sacrificialis oblatio; sed convivium triumphale, more gentis victoribus exhibitum. (b) Solus Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, Hebr. VII. 17. 21. 24. non secundum ordinem Aaronis, v. n. qui successores habuit v. 23. Christi autem sacerdotium est *ἀραγάβαλον* v. 24. id est, tale, quod in alium successive transire non potest, fatente Cornelio à Lapide Comment. b. l. p. 897. b. Quoniam itaque Christus, qui solus est sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, in officio suo sacerdotali, quo semel, seipsum offerendo in arâ crucis, functus est, non habet successorem, Cornelio eodem confitente; necessariò sequitur, quòd Corpus Christi hodiernum à nullo hominum secundum ordinem Melchisedeci offerri queat.

§. 2. Similis farinae sequens argumentum est: *Wie da lehret/ daß Christi Leib vor der Genießung nicht seye gegenwärtig/ nach der consecration, der machet Christum zum Lügner. Dann er hat gesprochen; Hoc est, Das ist/ und nicht es wird seyn. Ihr Hr. Pastores lehret uns also. Ergo.* Propositio enim Minor Doctores Ecclesie nostræ magnâ injuriâ afficit, eos docere, fingens, quòd corpus Christi, factâ consecratione, ante manducationem non sit præsens, sed (prouti in Syllogismo subsecquenti, §. 3. proferendo, falsa falsis cumulantur) dasim schlu-

den

eten und durchs Schlucken Christus erst kommt. Longe aliter
 sententiam Ecclesie nostrae proposuit *Formula Concordiae*, in qua
 p. 729. verba leguntur sequentia: *Porrecto pane sentiant* (Lutherani
 Doctores) *simul adesse & verè exhiberi corpus Christi*. Hinc
 argumentor: Quicumque sentiant, corpus Christi simul adesse
 & verè exhiberi, dum panis porrigitur, illi non docent, quòd
 corpus Christi ante manducationem non præsens sit in S. Coe-
 nâ. Lutherani &c. Ergo. Major probatur, quia porrectio
 panis manducationem antecedit. *Chemnitius*, qui non postre-
 mam in Formulâ Concordiæ consignandâ adhibuit operam,
 in *Examine Concilii Tridentini* Lutheranae Ecclesie sententiam
 partim κατὰ ἀπορίων, partim κατὰ βεβαιῶν explicavit: κατὰ ἀπορίων
 p. 296. b. ubi ita: *Nec tamen sententia est, panem benedictum, quòd
 distribuitur, qui exhibetur, & quem Apostoli de manu Christi
 susceperunt, non esse corpus Christi, sed TUNC PRIMUM
 fieri corpus Christi, quando INCIPIT MANDUCARI; κατὰ βεβαιῶν
 verò p. 272. b. scribens. Concedimus cum Irenæo, panem POST
 benedictionem (consecrationem) in Eucharistiâ non amplius esse com-
 munem panem, sed Eucharistiam corporis Christi, quæ duabus
 JAM rebus constat, terrenâ, h. e. pane & vino, & caelesti, h. e.
 corpore & sanguine Christi.* Unde ita infero: Quorum sententia
 est, panem benedictum non tunc primum fieri corpus Christi,
 quando incipit manducari, sed quòd Eucharistia post benedi-
 ctionem seu consecrationem jam duabus rebus constet, ter-
 renâ & caelesti, illi haud docent, quòd corpus Christi ante
 manducationem in S. Coenâ non sit præsens. Lutheranorum
 sententia talis est: Ergo. Major ex terminis; Minor ex ci-
 tatis Chemnitii verbis clara est. *Sebastianus Schmidius in Apho-
 rismis Theologicis, Disp. XXXVII. Theol. XII. p. 127. scribit: Unitio-
 nis istius (corporis & sanguinis cum pane & vino in S. Coenâ)
 punctum aliquod temporis præcisum definiri non potest, quòd jux-
 ta Mathematicam accurationem præstare conantur Scholastici &
 Pontificii, nec opus est, Hoc certum est, fieri eam ANTE abso-
 lutam comestionem & bibitionem, quòd & sufficit, cum ad comestio-
 nem*

nem & bibitionem ordinetur, & in hoc uno consolatio versetur accipientium, ut sciant, inter comedendum & bibendum se accipere corpus & sanguinem Domini. Unde iterum concludo: Qui docent, unionem corporis & sanguinis Christi cum pane & vino in S. Coenâ ante absolutam comestionem & bibitionem fieri, illi non docent, corpus & sanguinem Christi demum inter deglutiendum fieri praesentia. Lutherani illud docent: Ergo. Paucis, docetur à Lutheranis, quòd tamerli punctum temporis Mathematicum, quando haec unio sacramentalis fiat, juxta Hülsemannum, à Christ. Chemnitio in Not. ad Catech. Dieterici, L. de S. Coenâ, Controv. l. p. m. 150. citatum, defini nequeat, neque, quòd Lutheri nostri in Epist. posteriori ad M. Simonem Wolferinum T. IV. Jen. Lat. f. 597. b. monitum tui, disputandum sit, an sub primis, mediis, vel ultimis syllabis verborum institutionis adsit corpus & sanguis Christi? ex quo capite nonnulli Theologorum nostrorum tempus unionis hujus sacramentalis generalioribus modò verbis definiunt, quòd nimirum corpus Christi pani consecrato, & sanguis Christi vino consecrato, in ipso usu uniat: Gisenius in Defens. Catech. Lutheri, Disp. XVI. Thes. 6. p. 467. & 468. quòd unio ista sacramentalis incipiat in ipsa sacramentali actione & usu, qui benedicendo, distribuendo, edendo & bibendo perficitur: Dietericus Instit. Catech. Art. de Coenâ Dominicâ, Quaest. 26. p. m. 824. nihilominus statui possit, quòd, factâ per verba institutionis consecratione, ante manducationem & bibitionem unio sacramentalis fiat, NB. si nimirum consecrationem duo reliqui actus formales hujus Sacramenti, videlicet distributio & acceptio, è vestigio excipiant. Quis enim, scribens Hülsemanno in Manuali A.C. Disp. II. Qv. 3. p. 308. ex vi institutionis Christi, benedictio, (consecratio) fractio, (distributio) sumptio, actus contigui sunt, non pro instanti unius actionis seorsim fingi potest uniri cum pane corpus Christi; imò, observante D. Alberti in Interesse Relig. Art. IX. Thes. II. §. 4. p. 414. corpus cum pane & sanguis cum vino extra usum hujus Sacramenti nõ quidem sacramentaliter est unius, quia

quia hac unio non est absoluta, sed ordinata & determinata, respectu integre actionis sacramentalis. Quod si ergo in S. Coenae administratione consecrationem haud sequantur reliqui actus sacramentales correquisiti, i. e. si symbola consecrata ab Ecclesiae Ministro non distribuuntur, nec à communicantibus, quos vocant, accipiantur, comedantur atque bibantur, sed respondentur, theatricè ostententur, aut circumferantur; tunc cum *Hutero LL. C. C. p. 726. a.* Theologi Lutherani iudicant, nullam prorsus unionem intercedere panem cum corpore & vino cum sanguine Christi, est vel nullius recitentur verba institutionis. Et hæc sententia verbis institutionis Christi maximè est conformis. Dubitari enim nequit, quin Christus in primâ S. Coenae institutione & celebratione mediante verbis hæc: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus*, quæ æquè nobis, ac Pontificiis, consecrationis verba audiunt, corpus & sanguinem suum symbolis externis præsentia stiterit. Ipso enim dicente est, ipso præcipiente existit. *Soerspricht; so geschicht; so er gebeut; so steht da. Pl. XXXIII. 9.* Verba autem ista in legitimo Sacramenti huius usu, nempe in distributione & comestione atque bibitione, protulit. Acceptum enim panem *dedit* discipulis, dicens: *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum*; acceptumque poculum similiter *dedit*, inquam: *Bibite, Hic est sanguis meus*, Matth. XXVI, 26. 27. 28. Præterea verba illa dixit ante absolutam comestionem & bibitionem Discipulorum suorum. Nam quod de bibitione Marc. XIV. 23. legimus; quod post verba illa: *Hic est sanguis meus*, *Apostoli omnes bibent*; Idem de comestione dicendum erit; quod videlicet & illa post verba Christi: *Hoc est corpus meum*; peracta fuerit.

S. 3. Nunc tertium Argumentum audiamus, quod ita sonat: *Wer da lehret; es sey das Abendmahl ein bloß Sacrament/ und kein Opfer/ und besteh allein in der Genießung/ der mache seine Surgel oder Schlund zum Priester. Das lehret ihr Hr. Pastores/ und das im Schlucken/ und durchs Schlucken Christus erst komme. Ergo, Ac nonne hoc absurdum? Absurda omnino est Propositionis Major, & Minor ex parte falsa. Major ratione*

Q
pror.

prorsus nullâ confirmari potest, nequidem ad speciem, sed in
 vertenda potius est: *Qvis docet, S. Coenam non esse sacrificium,*
is neque Ecclesia Ministrum, Sacramentum hoc dispensantem, ne-
que Christianos, illo debite utentes, multo minus eorum gulam
atque fauces, sacerdotes proprie sic dictos esse statuit. Nam ne-
 gato uno relatorum, alterum quoque negatur. Minorem ve-
 rò quod concernit, ex parte vera, ex parte falsa est. Verum
 est, Lutheranos docere, quòd S. Coena non nisi pro Sacramen-
 to N. T. agnosci haberi que possit aut debeat, & negare eosdem,
 quòd sit sacrificium, si de sacrificio proprie sic dicto sermo sit,
 cujus requisita sunt, (1) ut res externa & sensibilis offeratur,
 (2) ut res oblata destruatür seu consumatur, (3) ut oblatio fiat
 DEO, (4) ut habeat mandatum divinum, (5) ut offeratur à sacer-
 dote proprie sic dicto; & hinc ita definitur: *Sacrificium est*
actio sacra, quâ sacerdos, juxta mandatum DEI, rem externam &
sensibilem DEO offert, ut hic per illius destructionem solatur. Conf.
Summè Reverendi Dn. D. Schelgvigii, Patroni atque Præceptoris
mei ad cineres usque devenerandi, Hypomnemata Lutheranæ, Loc.
XXII. Obs. ad Quæst. I. n. I. & II. p. 302. & 303. Aliàs si de sacri-
 ficio improprie sic dicto sermo sit, non negant Lutherani, S.
 Cœnam sacrificium appellari posse. Conf. *Apol. A. C. p. 258,*
& 259. Tota autem viâ à veritate aberrat Sattelsdorffius, fingens,
 doceri à Lutheranis, quòd S. Cœna unice in det *Genießung*
 id est, sicuti deinceps satis crasse mentem suam explicavit, *ist*
Schlucken seu in comestione & bibitione, consistat. Figmen-
 tum hoc omnia Systemata & Compendia Theologica Theolo-
 gorum nostrorum refellunt, in quibus docetur, quòd, quemad-
 modum Sacramentum quodcumque; ita specialem quoque S.
 Cœnam tres actus formaliter constituent, videlicet consecratio,
 distributio & acceptio: Id quod etiam in *Formulâ Concordiæ*
p. 750, verba inculcant sequentia: *Utilis hæc regula & norma*
ex verbis institutionis Cœnæ desumpta est: Nihil habet rationem
Sacramenti extra usum à Christo institutum, seu extra actionem
divinam institutam. Vocabula autem usus seu actio in hoc ne-

gatio proprie non significat fidem NB. nec solum manducationem, quæ ore fit; sed etiam externam visibilem actionem Coena Domini, à Christo institutam. Ad eam verò requiritur CONSECRACTIO, seu verba institutionis, DISTRIBUTIO & SUMPTIO, seu externa, quæ dicitur, oralis manducatio benedicti panis & vini, item corporis & sanguinis Christi perceptio. Calumnia, quod deglutendo demum Christus veniat, seu cum pane & vino Eucharistico sacramentaliter uniatur, jam præcedenti §. 2, fuit absterfa.

§. 4. Ad talentandè devolvor Argumentum, quod directè Lutheranis est oppositum. Propugnat enim communionem Laicorum sub unâ specie, quam Lutherani, utramque illis vindicantes, negant atque impugnant. Est autem illud sequentis tenoris: Wer nicht mag beweisen / daß Christus einem Leyen das H. Abendmahl gereiche unter beyden Gestalten / oder befohlen zu seyn / derselbe tadlet vergebens / unter einerley Gestalt es zu gebrauchen: Nun aber kan solches nicht erwiesen werden; Dann das ganze Abendmahl hat er allein gehalten mit seinen Aposteln / zu ihnen allein geredet: Ihr trincket alle daraus / und sie truncken alle daraus / Ergo. Resp. Si Major Argumenti hujus procedit, eadem ratione contra Sattelsdorffium accoeteros Pontificios arguendabor; Qvi probare nequit, quòd Christus S. Coenam laico dederit sub unâ specie, eandemve dari præceperit, ille communionem laicorum sub utrâque specie frustra vituperat. Atqui nullus Sattelsdorffius probare hoc potest: Ergo. Minor. probatur, quia Christus S. Coenam cum solis Apostolis celebravit, illis solis dixit: *Edite, hoc est corpus meum.* Pergo: Qvi probare nequit, quòd Christus ulli unquam laico S. Coenam dederit, aut dari iusserit, ille frustra Laicos ad sacratissimum hoc epulum admittit. Atqui nemo Pontificiorum probare hoc potest. Ergò Pontificii frustra Laicos ad sacratissimum hoc epulum admittunt. Ergò ne communicatio quidem sub unâ illis concedenda, sed à toto Sacramento sunt arcendi. Ergò titulus libri *Nicolas Mair*, prohibitionem Laicorum à lectione Scri-

ptura S. infinuans. *Sanctum profanis oclusum*, adjectaque pi-
ctura, exhibens canem, flagellis temp'o ejectum, incriptione
addita: *Erras canes!* ad prohibitionem etiam totius huius
Sacramenti erit extendenda. Minorem probo, quia Christus
totam S. Coenam cum solis Apotolis habuit, illis solis dixit:
Edite, bibite, hoc facite. Quicquid ergo ad hæc Argumenta
mea mihi responsum fuerit, idem sibi dictum putabit Sattels-
dorffius. Interea ad Minorem me accingo, in qua negari
nequit, quod Christus ipse nulli Laicorum Sacramentum Coe-
næ sub utrâque specie dederit; sed exin concludere non licet:
*Ergo Sacramentum hoc sub utrâque specie Laicis non est præben-
dum.* Nam, uti jam dictum, Christus ipse nulli unquam Lai-
corum unam S. Coenæ speciem dedit: Ergone propterea
una quoque species Laicis est deneganda? Christus ipse
nullum unquam Laicum baptizavit: Ergone propterea nul-
lus Laicus est baptizandus? Falsum autem est, quod in eâ-
dem Minore additur, quod Christus Sacramentum Coenæ Lai-
cis sub utrâque specie præbendum non præceperit. Præceptum
omnino (I.) in primâ S. Cænæ institutione, dicens: *Edite -
Bibite omnes.* Matth. XXVI. 26. 27. Quæ verba non sunt indi-
cative; sed imperativa. Non enim Christus dixit: *Edite: Bi-
bite omnes:* *Ihr trincket alle daraus/ prouti à Sattelsdorffio h. l.*
sunt translata; (nisi forte verba sua ita intellecta voluit: *Ihr*
in Vocativo: *trincket/ in Imperativo: alle daraus*) sed dixit: *Edite -
Bibite omnes,* sicut & Vulgatus rectè transtulit. Præceptum ve-
rò Christi, verbis illis contentum, directum quidem fuit ad A-
postolos, eo tempore præsentés: Verùm non spectat ad illos,
quatenus sunt Apostoli; sed quatenus sunt fideles & Christia-
ni. Quod ex eo efficitur, quia in præcepto illo Christi non
agitur de munere aliquo, solis Apostolis proprio; sed de Sacra-
mento universæ Ecclesiæ, Clericis pariter atque Laicis, communi.
Hinc arguo: *Quicumque præcepit Apostolis, non ut Apostolis, sed ut
fidelibus, accipionem S. Cænæ sub utrâque specie, ille præcepit etiam
Laicis,*

Laicis, ut idem Sacramentum sub utraq[ue] specie accipiant. Atque
 Christus in primâ institutione acceptionem S. Cæna sub utraq[ue]
 specie præcepit Apostolis, non ut Apostolis, sed ut fidelibus: Ergo
 eandem Laicis etiam præcepit. Major probatur, quia præcepta
 Christi, data olim Apostolis, non ut Apostolis, sed ut fidelibus;
 non solos Apostolos obligant, sed ad fideles omnes, sive illi
 Clerici sint, sive Laici, æquè pertinent; id quod Christus ipse
 clarè nos edocuit Marc. XIII. 37. Minorem probò: In quo præ-
 cepto non agitur de munere, solis Apostolis proprio, sed de Sacramento,
 ad omnes fideles per tinent, in illo nihil præcipitur Apostolis, ut Apo-
 stolis, sed ut fidelibus. Atque in præcepto Christi de acceptione sub utraq[ue]
 specie, non agitur &c. Ergo. Idem (II) Christus Paulo Apostolo
 præcepit, quod ex 1. Cor. XI. 23. seqq. perspicuum est. Ex quo
 loco sequens Argumentum nascitur: Quicquid Paulus Corinthiis
 tradidit, illud à Christo per præceptum accepit. Atque communio-
 nem sub utraq[ue], Laicorum æquè ac Clericorum, Paulus Corinthiis
 tradidit. Ergo eandem à Christo per præceptum accepit. Major
 est ipsius Apostoli, v. 23. inquit: Accepi à Domino, quæ vobis
 tradidi. Minor similiter in Textu est fundata, qui Syllogismo
 sequenti materiam ministrat: Comestio panis & bibitio vini à
 Paulo tradita est omnibus Corinthiis, Clericis & Laicis. Comestio
 panis & bibitio vini est communio sub utraq[ue]: Ergo Communio
 sub utraq[ue] à Paulo tradita est omnibus Corinthiis, Clericis &
 Laicis. Major ex v. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. elucet; & quod illa om-
 nia, quæ in adductis versiculis ab Apostolo dicuntur, ad omnes
 Corinthios, Clericos & Laicos, spectent, ex totius Epistolæ
 inscriptione liquet, quæ exhibetur Cap. I. 2. ubi tota Epistola
 scripta esse perhibetur Ecclesie DEI, [cujus membra etiam sunt
 Laici] quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo JESU, vo-
 catis sanctis (ad quos Laici etiam pertinent) cum omnibus, qui
 invocant nomen Domini nostri JESU CHRISTI (quod faciunt
 etiam Laici).

§. 5. Nostrâ ergo doctrinâ invictis Scripturæ S. testimo-
 niis statuminatâ, restat, ut Exceptiones refellantur, quæ con-

Q 3 tra



tra Argumenta, in Responsione Lutherana adhibita, Satteldorffius in medium protulit. Regerit autem (1) Du sagest: Was Christus bey sammen verordnet/ und der H. Paulus also den Corinthern übergeben/ das sol man billig ihnen lassen. Nun aber so hat es unser Heyland also verordnet (nemlich den Leyen) Ergo. Resp. nego Minorem. Dann das schein zu beweisen / daß Christus also verordnet den Leyen/ als den Aposteln / oder aus der That/ oder aus den Worten. Ex nullo potest. Ergo. Nicht alles was Christus gesprochen zu den Aposteln / ist auch zu den Leyen; und ein anders ist die Einygung / ein anders ein Gebot. Resp. 2. die Catholischen verneinen nicht / daß man es nicht bey sammen reichen mag auch den Leyen (dann die vereinigte Catholische Brüdern brauchen es also / und wird ihnen vergönnet) sondern sie lehren / das es wegen vieler Ungelegenheiten in einer Gestalt Gottselig werde genossen; und in sonders die Lustliche Kegeren zu verfilgen/ die da schwärmet/ unter dem Brodt sey allein das Fleisch Christi / und in dem gesegneten Kelch das Blut. Dann wer also glaubet/ trennet Christum / ja tödtet ihn / da er doch etwann für uns gestorben / in Ewigkeit nicht stirbet. Und Christus zu den Schaaren / das ist den Leyen / redende hat so woll den Genießenden unter etwanley Gestalt / als unter beyden das ewige Leben versprochen / aldiweilen einer als der ander den ganzen Christum / mit Leib und Seel / Fleisch und Blut genießet.

§. 6. Resp. (1.) Minor Argumenti Lutherani negari non potest, quippe quæ superiori §. 4. satis superque fuit probata. (2) Non omnia, quæ Apostolis Christus dixit, Laicis etiam dicta esse, ultrò largimur: Quòd verò illud verbis institutionis Coenæ Dominicæ, ad Apostolos prolatis, locum habeat, negamus. Negativam eodem §. 4. evicimus. (3) Dari aliquam inter præceptum & institutionem diversitatem, cum Gerardo nostro T. V. Locor. Theol. L. de S. Coenâ §. 34. concedimus: Inficiamur verò, verba testamentaria Christi nudam institutionem, nequam verò præceptum in se continere. Fateatur hoc nobilicium Bellarminus Lib. I. de Sacram. Eucharistie, e. IX. scribens: sequitur Lex seu præceptum. Esse enim in hac institutione præceptum aliquod



aliquid divinum, nemo negat, & patet ex illis verbis: Accipite edite; item: Hoc facite. Et quid Svarezio, Viro Pontificio, Sattelsdorffius respondebit, cujus verba adduxit *Lassenius* in dem bettühren und von Geis reichlich gerösteten Epythaim! *Serm. CXXIII. p. 1060.* quæ ita habent: *Omnis Christi institutio habet rationem præcepti, non solum affirmativi; sed etiam negativ.* Sub sumo: *Institutio Cæne est institutio Christi. Ergo institutio S. Cæne habet rationem præcepti, non solum affirmativi, sed etiam negativ;* hoc est, talis præcepti, quod semper & ad semper, ut loquuntur Scholastici, seu omni loco & tempore, obligat. (4) Sacra Cæna Laicis sub utraq; specie porrigi non solum potest; verum etiam, propter divinum mandatum & institutionem, debet. (5) Quosnam sub univisorum Catholicorum Græcorum nomine Sattelsdorffius intelligat? Num illos, de quibus *Voetius P. III. Dispp. Select. p. 782.* refert, quod Anno 1594. ab Ecclesiâ Græcâ ad Romanam transferint, quales fuerint Episcopi aliquot in Russiâ, Polonia subjectâ, quos propterea UNITOS vocent? certò affirmare nequeo. Quicquid autem de illis sit; quæro tamen ex Sattelsdorffio: Si hilce S. Cæne usus conceditur sub utraq; specie; sicut etiam Bohemis Anno 1431. à Concilio Basileensi, (*Gebb. Theod. Meierus in Hist. Relig. Cap. V. Sect. XV. S. 7. p. 214.*) & Ao. 1437. Regibus Galliæ à Papâ indultus fuit; (*Alberti Interesse Relig. Art. IX. Th. III. S. 5. p. 422.*) cur non conceditur omnibus? Quæ ratio diversitatis inter Græcos illos, Ecclesiæ Papæ unitos, & cœterarum Ecclesiarum Laicos? Aut quis potestatem Pontificiis dedit, cum Sacramento hoc pro lubitu suo agendi, quicquid velint? (6) Quænam sint incommoda illa, quæ obstant, quò minus Sacramento Cæne sub specie utraq; frui liceat Laicis, dicere Sattelsdorffius debuisset. Si fortè illa sunt, quæ Auctores Confutationis A. C. in Responsione ad Artic. I. P. II. A. C. quondam obtenderunt, nimirum periculum effusionis, & alia; probè perpendat Sattelsdorffius sequentia *Apologie A. C. p. 23.* verba: *Num hæ rationes (hæc incommoda) excusabunt hos in judicio DEI, qui prohibent partem Sacramenti, qui sectantur in homines bonos, utentes integro Sacramento?* (7) S. Cænam sub unâ specie

specie p^o accipi, oppositum est in appposito. Hoc enim contrarium est divino mandato atque institutioni, cui quicquid repugnat, impium est. (8) Laudem meretur, *de ore Hæreses*: verum veras non fctas: mediis licitis; non illicitis. Johannis: utem Hussi doctrina non fuit Hæresis, & constans hic divinæ veritatis Confessor combustus quidem fuit, sed non convictus. Dabo vero, illum fuisse Hæreticum: Per Sacramenti tamen, ab ipso Christi instituti mutilationem Hæresium quæere extirpationem, non est bonâ & rectâ incedere viâ. *Non enim sunt faciendâ mala, ut inde bona eveniant*, Rom. III. 8. (9) Doctrina, quod in S. Cœnâ sub pane sacramentaliter præsens sit solum corpus Christi, & sub vino solus sanguis Christi, non est Fanatica aut hæretica; nec illud credens Christum separat & occidit. Nam doctrinâ hæc institutioni Christi, tanquam firmo atque immobili fundamento, innititur, (10) Locus Joh. VI. quem Sattelsdorffius non quidem citavit, ad illum tamen omnino respexit, communionem sub unâ planè non statuminat. Non enim agit de pane naturali, qui cum vino naturali est res terrena S. Cœnæ; sed de pane mystico & spiritali, qui Christus est, v. 35. Nam ille è terrâ provenit, Ps. CIV. 14. Hic autem de cœlo descendit, Joh. VI, 33. Ille non nisi famem: Hic & famem & sitim restingvit, v. 53. Præterea in... Dicto hocce agitur de manducatione Christi spiritali, quæ ore fidei peragitur, v. 27. 29 35. 40. 47. non autem sacramentali quæ in S. Cœnâ fit ore corporis. Nam (a) manducatio illa, de quâ h. l. agitur, cum bibitione est eadem, v. 35. Est manducatio sacramentalis bibitioni contradistinguitur, Matth. XXVI. 26 27. (b) Manducatio, de quâ h. l. sermo est, sinitur tanquam absolute necessaria ad salutem; v. 53. Manducatio autem sacramentalis est tantum secundum quid necessaria; aliâs si nemo sine eâ planè non salvari posset, infantibus quoque S. Cœna necessario esset porrigenda, quod tamen Pontifici ipsi non faciunt. (c) Manducatio sacramentalis quandoque, ex accidenti, est damnabilis, I. Cor. XI. 29. Illaverò de quâ h. l. Christus loquitur, semper est salutaria, v. 51. 54. 56. 57. 58. Interim non negamus quòd

quod ea, quæ in Capite hoc proponuntur; aliquâ ratione ad Sacramentum Cœnæ referri queant, quando nimirum non de substantiâ, sed de fructu & usu Sacramenti hujus agitur. Quod etiam F. C. p. 743. respexisse videtur, ubi, de manducatione carnis Christi spiritali PRÆCIPUE Christum in Evangelicâ Jobanne, Capitulo sexio, agere, affirmat.

§. 7. Sattelsdorffius advertus Responſionem Lutherani Pastoris (II) excipit: Du worteſt zum 2. Was Christus Teſtament weiß allen vermachet und extrahire, das ſol man ungeſtümlet laſſen. Nun aber Ergo. Reſp. nego ſuppoſitum. Hr. Pastor, ihr verſtehet nicht, was ſey Synecdoche. Dann nicht das Fleiſch und Blut Christi iſt uns vermachet im Teſtament; ſondern das ewige Leben durch das Blut Christi &c. &c. Beſſer wäre es; wann ihr das wahre Abendmahl möcht reichen unter einer Geſtalt, als daß ihr die Surigen mit bloſſem Brod und Tropffen Wein abpfeiffet. Reſp. (1.) Minor Argumenti Lutherani non poteſt negari. Verba enim Teſtamenti, quibus illa innitur, Sole ipſo ſunt lucidiora: *Edite, hoc eſt corpus meum: Bibite omnes, hic eſt ſanguis meus.* (2.) Si verba hæc ſynecdochicè ſunt intelligenda, locum habebit vel Grammatica, vel Rhetorica ſynecdoche. Sed neutra, ſenſu Sattelsdorffiano, obtinere poteſt, quo ſanguis Chriſti, in S. Cœnâ ad bibendum præceptus, notat vitam æternam, cujus per ſanguinem Chriſti reddimur participes: Ergo verba Chriſti ſynecdochicè non ſunt intelligenda. Quod ſynecdoche Rhetorica obtinere nequeat, clarum eſt, quia hæc eſt Tropus, in quo pars pro toto & Species pro Genere, vel contrâ totum pro parte, & Genus pro Specie ponitur. Sanguis autem Chriſti non eſt pars vitæ æternæ, aut totum, vitam æternam, ceu partem, in ſe continens; neque etiam eſt Genus, vitam æternam, ceu ſpeciem, ſub ſe complectens, aut ſpecies, vitam æternam, tanquam Genus, ſupra ſe agnoſcens. Quod etiam ſynecdoche Grammatica, hic exulare debeat, itidem non obſcurum eſt. Nam hæc eſt ejusmodi uſus, proprius & peculiaris loquendi modus, quo res duas ſimul conjunctæ, obſcunduntur vel exhibentur, & tamen altera ran-

iam, quæ sensui minus obvia ac principalis est, expressè solam nomi-
natur; prouti descripta illa est à Gerbarolo l. c. v. 98. Si autem
verba Christi: Hic est sanguis meus, in sensu, à Sattelsdorffio iis
affixto, essent intelligenda: Exhibeo per sanguinem meum vitam
æternam; in verbis illis non esset (α) proprius & usitatus; sed
improprius & inusitatus loquendi modus. (β) Iis non
exhiberentur res duæ, simul conjunctæ; siquidem extrema unio-
nis sacramentalis in S. Coenâ non sunt corpus & sanguis Christi ab
unâ, & vita æterna ab alterâ parte; sed panis & corpus, vinum &
sanguis Christi: vita autem æterna ad fructum & effectum hujus
Sacramenti pertinet. (γ) Iis non expressè nominaretur res illa,
quæ sensui minus obvia est. Nam neq; sanguis Christi, qui, quando
S. Synaxin celebramus, in verbis institutionis Christi expressè
nominatur: Hic est sanguis meus; neque vita æterna, quam per
sanguinem Christi in Sacramento hoc legatam quasi esse homini-
bis, dicit Sattelsdorffius, sensibus exponitur. Dixi autem, Syn-
ecdochen Grammaticam in verbis institutionis Christi locum
habere haud posse, in sensu Sattelsdorffiano. Nam in alio, eoqve
orthodoxo sensu, admisit eam Lutherus T. III. Jen. Germ. f. 456.
a. & 487. b. (3.) Falsum est, quod corpus & sanguis Christi testa-
mento Salvatoris nostri nobis non sint legata. Contrarium enim ta-
bulæ testamentariæ evincunt, à quibus nobis ne lacum quidem
ungvem recedendum est. Contrarium etiam Bellarminus ad-
struxit, Lib. IV. de Sacramento Eucharistiæ, c. XXVII. scribens:
Hereditas, (in Testamento Christi) nobis relicta, non est panis,
neq; vinum; sed corpus & sanguis Christi. (4) VERUM Sacramenti
Coenæ sub unâ præbere specie, est contradictio in adjecto. Nam, ut
verum sit Sacramentum hoc, non sola species panis; verum etiam
species vini requiritur; utpote quæ sine transgressione institutio-
nis Christi, & sacrilegâ mutilatione totius Sacramenti abesse non
potest. (5.) In Ecclesiâ Lutherana convivis S. Coenæ nudo pane & vi-
no vesci, infrunita est calumnia. Nam credimus, docemus & confi-
temur, quod in Coenâ Domini (quæ in Ecclesiâ nostrâ Lutherana
celebratur) corpus & sanguis Christi VERÈ & substantialiter sine

presentia, & quod cum pane & vino VERE distribuatur atque sumantur. F. C. p. 599. Quæ Fides, doctrina atque confessio nostra immota persistet, etiam si summa imis misceantur. (6.) Sub paucis etiam *gustula vini* verum accipitur Sacramentum. Nam & hic locum habent verba primitivæ Ecclesiæ: *Non multum sumimus; sed parùm, ut agnoscamus, non ad saturitatem; sed ad satisfactionem hæc sumi.*

CONCLUSIO.

Atque sic tandem Lutheranismus, contra Johannem Satteldorfium defensus, ad finem perducitur. Plura enim Satteldorfius non adjecit; sed integrum scriptum suum verbis sequentibus obsignavit: *Andre cure Sophismata und Sâhmâhungen umbegehe ich dismahls/ der Kirche halben, sie mögen auff ein andermahl durchgehelt werden.* Adju. Plura ergo ut ego addam, opus non est. In illis verò, quæ pro defensione Lutheranismi dicta fuerunt hæctenus, me non exhibui Sophistam, neque etiam Pastor Lutheranus, quem defendi; cuius proinde orthodoxæ Responsiones summâ cum injuriâ appellantur Sophismata. Nihil etiam calumniis atque contumeliis dedi, quamvis non defuisset occasio, si maledicta, in sanctam nostram Fidem Lutheranosque Pastores exsperta, retorquere voluissim; sed aurem mihi velle cavit illud *Augustini Lib. III. contra Petilianum: Si tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud, quàm duo maledicti essemus?* Ubique ergo Christianam modestiam; sed & veritatem fuisse status. Hinc scapham scapham vocare placuit, quod veritatis est; verum sine scōmmatibus & falsâ verborum acerbitate, quod Christiana requirit moderatio. Si quis tamen, me non rem semper tetigisse acu, existimaverit, is velim sciat, me esse hominem, nec quicquam humani à me putare alienum. Invidia verò, quæ optima quæque torvo innuetur vultu, & Theonino arrodit den-

130
te, illud sibi dictum putabit, quod in Aede Civitatis hujus primariâ D. Lucæ Backmeiliteri p. m. effigiei subscriptum legitimus:

Feci, quod potui; potui, quod, Christe, dedisti:
Improba, fac melius, si potes, invidia.


Denique ad Sattelsdorffium, cum quores mihi fuit hactenus, conversus, pro Gallico: *Adju!* Biblicè verbis, ex Act. XX. 32. depromptis, ita illum cum candore animi dimitto: *Commendo Te, Sattelsdorff, DEO & sermoni; gratia ipsius, qui potest Te vero & unico veræ Ecclesiæ fundamento, quod Christus est, superstruere, & dare Tibi hæredicæ ætem cum sanctificationis omnibus.* Cujus ut per Christum, summum animarum nostrarum Pastorem, Ovis hæc deperdita verâ fide fiat particeps, ex intimis animi precor visceribus! Quod restat, supremo; cujus nutu geruntur omnia, & hoc quoque, quæcunqve opus cœptum, continuatum finitumqve fuit,

Numini, pro concessis desuper viribus & Sancti Spiritus gratiosâ assistentiâ, sit laus, honor & gloria in seculorum secula! Amen!

SOLI DEO GLORIA



Ad
Præclarissimum hujus Disputationis
Autorem,
DN. IMMANUELEM KUHNIIUM;

 Vamprimùm ad hanc Academiam, commen-
datus mihi à magni celeberrimiqve nominis
Theologo, D. SAMUELE SCHELGV-
GIO, delatus es, KUHNII doctissime, verum
id esse deprehendi elogium, quod Disputati-
oni Tuæ Dantiscanæ, quæ Theologici problematis:
an fides justificans sit bonum opus? titulum præferebat,
subjicit: ingenio Te, memoriâ, iudicio, eloquioq, & quæ pri-
mo loco nominanda erat, pietate præ multis aliis valentem
appellitans. De vero enim ingenuoq; DEI timore, quo
universa studia Tua quasi fecundas, & ex quo, quicquid
veræ eruditionis est, tanquam ex fonte promanat, quis-
quis in Tui notitiam vel qualitercunq; penetrat, testimo-
nium Tibi reddit & illa virtus, quæ interioris animi
pietatem primo statim adpectu prodit, quamqve mo-
destiam vocamus, ex ipso vultu Tuo cunctisq; gestibus
elucet

elucet. Jam hoc quasi præsidio instructus ad omnē
solidæ doctrinæ genus impetu quodam ruis, ut non cal-
caribus sed freno opus habere videaris. In illis exer-
citiis, quibus in privato quidem auditorio meo, quod
tamen patet univērsis, de rebus sacris conferre inter
nos sermones solemus, jam ante biennium, ne quidem
in disputantium numerum receptus, sæpius colloquen-
tis mecum personam, quam qui id ipsum sibi officium
sumserant, sponte Tua, etiam in re *ἔρασμα*,
subiisti. Tanto ferebaris jam tum, vix huc adveniēns,
in uberiores Theologicæ scientiæ profectus. Ex quo
tempore ingenio judicioque Tuo id pondus studiis
Tuis adjecisti, ut jam alterâ vice personatum istum
Sattelsdorffium, exercitui Israëlī pro more hominum
istorum maledicentem, masculè aggredereis, Tuisque
unicè viribus dares in ruborem. Quid verò posthac
à Te ornamentī Ecclesiæ nostræ & res Literaria sibi
promittere possint, non ego tantum, sed quotquot Te
intimius noverunt, indubiâ & lætissimâ spe præcipi-
unt. Quam spem posteritati nostræ Tibique eò eni-
xius gratulor, quo & ego Tibi majori vinculo sum
obstrictus, quod nominis mei honestam famam
adversus maleferiatos quosdam obtrectatores vindica-
re non omisisti. Veneror autem DEum, ut & Schel-
gwigiana & mea de Te vōta subinde magis impleat in
nominis sui immortalē gloriam & Ecclesiæ suæ sa-
lutem! Scr. VI. Aug. MDCCIV.

JO. FECHT, D. P. P. Cōsist. Duc. Adf.
& Distr. Rostoch. Superintendentens.

Ad
Præcellentem & Clarissimum DOMINUM
Auctorem Respondentem,
DN. IMMANUELEM KUHN,
S.S. Theolog. Cultorem, & Ministe-
rii Candidatum dignissimum, Fautorem ac
Amicum Carissimum.

Voties tui ad Rosetum no-
strum, Optime KUHN, ad-
ventus recordor, ac studiorum
vitæque rationem, & moderationem,
quam per aliquot annos hîc iniisti, a-
nimo reputo, eam veram laudem, ac
haud fucatam commendationem esse
intelligo, quæ abs Summè Reverendo
atque Excellentissimo Dn. SCHEL-
GULGIO Theologo Celeberrimo ve-
rè tali, & de Ecclesiâ Gedanensi imò
universâ Lutheranâ Orthodoxâ opti-
mè merito, ac indies merenti, nec non
1704

à Maximè Reverendo ac Præcellentis-
simo Domino JOH. FALKIO, Theo-
logo apud illustres Gedanenses
gravissimo, Agnato meo colendissi-
mo &c. (qui per Dei gratiam in lau-
de hodie vivunt, & ut diu vivant ex
toto pectore precor!) in primis pro-
ficiſcitur, quâ ad nos ſtipatus veniſti.
Idem propitia veritate de te affirmant
omnes Theologi, tam Academici,
quam Eccleſiaſtici noſtræ Academiæ
& Civitatis, quibus omnibus ingeni-
um tuum, S. S. Theologiæ aptiſſi-
mum, morum ſtavitas & comitas
indefeſſa que industria penitus inno-
tuit, qui omnes te amant, & Eccleſiæ
N. gratulantur de optimo veritatis de-
fenſore præſenti, & olim futuro; cujus
& egregium ſpecimen in duabus Di-
ſputationibus Lutheranismi deſenſi
contra Larvatum Papiftam, ſummo
cum

cum omnium applausu reddidisti, Ta-
ceo singularia tua dona, à DEO Tibi
largiter concessa; & in suggestu sacro
sat Ecclesie nostræ ostensa; sic recon-
ditam, & abditos redolentem recel-
sus eruditionem Tibi cum DEO com-
parasti, quâ bonorum omnium fa-
vorem & applausum Tibi concili-
as. Quod mearum est partium Deum
T. O. M. veneror, ut quibus Te in-
struxit, præclaras dotes in publicum
provehat. & Ecclesie nostræ sat qual-
lata jubeat esse salutare, Te & studia
tua excellentissima omnibus bonis,
bonorumq; ingeniorum Fautoribus
& Promotoribus eo, quo decet, &
fieri potest modo commendo. Vale.

De properabam Rostochii die
Donati, Anno 1704.

J. NICOL, QVISTORPIUS. D.


Adde


Audaces fortuna juvat. Quod, sedule KUHNI,
Sapè inculcasti Discipulo, ipse probas.
Fortiter aggressus tibi *Sattelsdorffius* herbam
Porrigit, ipse jocus, ludibriumque jacens.
Theiologo quondam qui nodum intenderat ipsi
Nectere, nunc *cuncto* tunditur ille tuo.
Perge ita, mi KUHNI, *Rohrlowis* disjice muros,
Pro Christo & vero sit tibi stare decus.
Inter cordatos tua gloria crescet opima,
Hincque DEO atque bonis semper amatus eris.


*Clarissimo DNO. KUHNI, suo Domestico & Com-
mensali suavissimo, filii Informatori fidelissi-
mo, Amico honoratissimo, et a merito, licet fe-
sitanter assurgebas*


JOHANNES MAURICIUS POLTZIUS,
SS. Theol. & Phil. D. ad S. Johannis
Pastor & R. M. S.











VI 216

5. + 24. 8h 2:20

23 = z

39 = t

ULB Halle
002 385 52X



3


72 → 22


vd 18

VD 77

04.2007 Sch







47

Q. D. B. V.
LU THER A =
N I S M I D E F E N S I

CONTRA
JOANN. SATTELSDORFF,
PAPISTAM LARVATUM,
DISPUTATIO POSTERIOR,

Quam,
LOCO DISPUTATIONIS CIRCULARIS,
DIVINO FRETUS AUXILIO,
CONSENTIENTE MAXIME PENERANDO THEO-
LOGORUM ORDINE,
SUB PRÆSIDIO

VIRI SUMME REVERENDI
DN. JOHANNIS NICO-
LAI QVISTORPII,

S. S. THEOL. D. ET PROF. PUBL. Ædis NICOL.
PASTORIS, REV. MINISTERII ROSTOCHIENSIS
SUPERINTEND. ET COLLEGII THEOLO-
GICI h. t. SPECTABILIS DECANI,
DOMINI PATRONI, PRÆCEPTORIS AC IN CHRIS-
TO PATRIS ÆTATEM VENERANDI,

DIE IV. SEPTEMBR. A. MDCCIV.
HABENDAM,
PROPONIT,
AUCTOR

IMMANUEL *Süßn* /
Colbergâ-Pomeranus,

Koltschl, Ære Joh. Wepplingii, Sereniss. Princ. ac Ac. Typ.

